
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0002

K. K. 258.

Cluverius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0004

PHILIPPI CLVVERII

INTRODVCTIONIS

in

Vniversam GEOGRAPHIAM

tam Veterem quam Novam Libri VI.

Tabulis æneis illustrati.

Accessit P. BERTII *Breviarium Orbis Terrarum.*

Kk 258



AMSTELODAMI,

Ex Officina Elzeviriana. Aº. 1659.

LEHNS - BÜCHEREI IN ERXLEBEN

Illustriss. & Amplissimo Viro

DOMINICO MOLINO

Patritio & Senatori Veneto,

S. D.

IOSEPHVS VORSTIVS Ev. F.

COmplures causæ sunt, Vir Illustrissime, quæ me impulerunt, cur fœtum hunc posthumum PHILIPPI CLVVERI curæ meæ concreditum clarissimo tuo nomini inscribendum esse duxerim. sive enim tua erga defunctum merita considerem, sive in nos nostramque familiam à te collata beneficia, sive denique, quod palmarium esse puto, incredibilem illum tuum in bonas literas ac literatos omnes amorem, summo cum studio ubique terrarum eos juvandi promovendique conjunctum, nemini nisi uni tibi meritissimo operis hujus dedicationem deberi comperio. Qualis autem quantaque semper fuerit tua, qua Cluverium nostrum, dum nobiscum esset, prosecutus es benevolentia, vel inde satis superque constare

pot:st, quod de manibus etiam demortui porro bene mereri pergas; dum posterorum ejus orbitati favorem ac opem tuam deesse nullo modo pateris. Qua res certam mihi spem facit, divinioris illius animi partum hunc immaturum minimè à te derelictum iri. Patrocinium tuum implorat, Vir Illustrissime; & quod in eo imperfectum obscurumque, breve, heu! nimium, genitori suo vitæ spatium concessum esse voluit, id nominis tui splendor ac consummata laus uti perficiat ac illustret, obnixe petit. Tu qui vivum nihil desiderare, quod quidem ab humanitate tua exspectari poterat, voluisti, neque mortuo, ut confido, hanc denegabis gratiam. Merentur id eximia viri virtus & eruditio, tibi, si cuiquam, perspecta; meretur id summa illius olim in te observantia. Quantam verò jacturam in illius morte, eruditis omnibus acerba, respublica literaria fecerit, non unius paginæ res est, aut paucularum linearum. non ex alio hoc discès melius, quàm ex eo quem maximis in delitiis habes D. Heinsio tuo, viro ingentibus meritis ac fama supra conditionem humanam evecto, qui de more majorum collegæ sui exequias funeris disertissima oratione ex pio officio celebravit. Verum luctuosa hac de obitu autoris nostri recordatione relicta, ad lætiorem me confero. Accedo ad tua in carissimum mihi fratrem

trem benefacta, quibus totam familiam nostram tibi debendi ream constituisti, quæ talia tantaque sunt, ut tuus ex asse non solum dici frater velit, sed & debeat. Tu ille es, Vir Illustrissime, qui primus meum Adolphum in illas Italiæ oras advenientem complexu, benevolentia, amore, ac familiaritate tua dignatus es. Neque magnum tuum hic silere lubet Heinsium, cui cum is debeat quamplurimum, hoc tamen debere volet semper maximum, quod literis suis aditum illi ad te paraverit liberiorem. Tu toto quo ibidem vixit tempore, ita illum fovisti, ita tutatus es, ut omne desiderium patriæ parentumque magna ex parte leniveris, adeo ut vix, imo ne vix quidem procul suis se esse senserit. Tua opera claris doctisque quamplurimis in Italia viris innotuit, Bibliothecas celeberrimas introspexit, ac ea oculis auribusque usurpavit, quæ haud facile cuiquam ex tanto peregrinantium numero videnda audiendaque contingere solent. Et cum reliquæ Italiæ lustrandæ desiderio teneretur, ac demum domum revertendi, tu ubique eum commendatitiis prosecutus es; quibus adjutus, Legatis tribus Serenissimæ Venetæ Reipublicæ ita carus acceptusque fuit, ut partim eorum hospitio per Italiam, partim comitatu in reditu usus, uberrimum fructum peregrinationis suæ in patriam reportasse,

jure gloriari possit. Quis digne depraedicet Illustrissimi heroïs Reineri Zeno, gravissimi tum temporis cum Romae esset, apud Pontificem Oratoris singularem humanitatem, qui aula sua exceptum, maxima cum verecundia non semel renitentem, ita benigne tractavit, ut perpetua apud nos sit futura beneficiorum ejus memoria, ac nominis illius cultus? quis magnam illam M. Antonii Mauroceni animam pro meritis extollat? qui cum ad potentissimos nostros Ordines è Legatione Sabaudica, qua glorioßissime defunctus erat, Orator mitteretur, Augustam Taurinorum in comitatu successoris sui Illustrissimi & excellentissimi Laurentii Parutae adpellentem, non modo lubentibus oculis conspexit, verum etiam ad diem itineri suo praestitutum apud se detinuit, ac comitum suorum numero adscriptum salvum ac incolumem ad patrios lares, periculosis hisce temporibus, reduxit. Qua praestanti summorum virorum beneficentia in perpetuum quidem illis devinctus manebit, tibi tamen soli tantum quantum caeteris omnibus; utpote cujus auctoritas ac existimatio apud singulos, illi conciliatrices tantorum favorum extitere. Quanquam autem tot nominibus scripti huius tibi vendices dedicationem, nulla tamen re propius ea ad te spectare videtur, quam propter excelsum illum tuum animum

ac

ac plane heroicum, ita erga humaniores literas affectum, ut iniquo hoc sæculo solus fere ad excitanda & sustentanda literatorum ingenia natus esse videaris, dum sic eos æstimas, sic diligis ac pro virili tueris, ut tibi uni primatum hac in parte deferentes, toti se ad tui venerationem convertere jam cœperint. Taceo reliquas tuas virtutes, quibus mortalitatis hujus limites transcendens, proxime ad divinitatem accedere diceris. Quis summum in Remp. studium, quis prudentiam singularem, ac in maxima autoritate raram comitatem, quis omnigena eruditione plene imbutum pectus, quis oris facundiam ineffabilem, quis incorruptam tuam fidem, candorem, ac tantam perpetuæ humanitatis constantiam, quanta vel in homine optari possit, non modo collaudare, sed admirari pro magnitudine earum queat? Gloriosum quidem sibi putat frater, Italiam tuam, humani generis delicias, vidisse; Italiæ urbium ocellum Venetias adiisse; at te quod coram cognoscere potuerit ac colere, purpuratorum Patrum decus eximium ac priscæ nobilitatis Venetæ magnum columen, id vero serio triumphat. De majoribus tuis, viris domi forisque maximis, multa dicenda forent. Offerunt se nobis Iacobi, Cræsi, Andreæ, Hieronymi ac Aloisii, in toga, armis ac literis jam multa ante secula strenuis-

nuis-

nuissimi, & antiquissima Molinorum prosapia clarissima lumina. Verum cum publici annales hos jamdudum loquantur, & nihil potius, quam pauca de sublimibus illis animabus referre expediat, in te uno tota mea cogitatio defixa maneat, in quem natura parens, miraculi instar aliquid edere gestiens, omnes omnium gentilium tuorum congessit virtutes, ut quas in singulis admiramur singulas, in te suspiceremus ac veneraremur universas. Accipe itaque, magne patrone, serena fronte literarium hocce munusculum, meritis ac virtutibus tuis debitum, quod alienis laboribus exstructum adornatumque, nostra verò industria ac cura in lucem bono publico protractum, Amplitudini tuæ in grati animi signum, submisse offerimus ac dedicamus; daturi aliquando, si genius faveat & fata sinant, majora teque digniora. Vale sæculi decus, & nos nomini dignitatique tuæ devotissimos amare perge.

PH

PHILIPPI CLUVERII

INTRODUCTIONIS

IN

UNIVERSAM GEOGRAPHIAM,

tam novam, quam veterem,

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Quid Geographia, & quid Globus seu Orbis terræ.

GEOGRAPHIA est terræ universæ, quatenus nobis cognita est, descriptio. Vocabulum ejus Græcum est: nam à γαῖα, sive γαία, id est, terra (pro quo in compositione usurpatur γέα) & γράφω, hoc est, scribo, compositum fit Γεωγραφία, id est, Terræ-descriptio.

Differt autem Geographia à Cosmographia, ut pars à toto; à Chorographia, ut totum à parte. Cosmographia quidpe, quæ à κόσμος, id est, mundus, & γράφω, dicitur

Mundi descriptio, est totius universi seu Mundi tam elementaris quam ætherei descriptio. Chorographia, cujus vocabulum à χῶρος vel χώρα, id est, regio, & γράφω componitur, est regionis alicujus particularis descriptio; veluti Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ: hujus pars iterum est Topographia, quæ à τόπος, id est, locus, & γράφω dicitur; est hæc loci alicujus particularis descriptio; utpote agri sive territorii, alicujus oppidi, seu pagi: in qua etiam arva, prata, arbores, plateæ, & ædificia depicta veniunt. Geographia autem solius terræ situm describit. Terræ autem nomine in Geographia non separatim quartum elementum, ut Physici, accipimus: sed complexim terram, una cum aquis infusis, pro totius universi centro intelligimus, quod à figura, Orbis, seu Globus, terræ vocatur. Globus quidpe est corpus solidum, undique rotundum, unica superficie contentum; in medio habens centrum sive punctum, à quo omnes lineæ, ad superficiem ductæ sunt æquales. Vnicus igitur ex utroque elemento Globus conficitur; unamque & eandem convexam constituit utrumque superficiem. Hunc vero terræ Globum varie Geographi in circulos atque parteis distinguunt: de quibus singulis ordine agendum.

CAP.

CAP. II.

De Globi partibus & Circulis.

PRimum Axis in Globo constituitur, sive linea recta, per centrum terræ traducta; quæ est totius mundi diameter, à præpositione Græca διὰ, id est, per, & verbo μετρέω, id est, metior, dicta: quasi medium dimetiens, circum quam volvitur atque convertitur Mundus.

Axis autem extrema, Poli mundi appellantur, à verbo πολέω, quod est verto: unde & vertices Latinis, & cardines dicti; quia circum hos tota mundi machina, circumvolvitur, quorum alter Arcticus, id est, Ursinus, ἀπὸ τῆ ἄρκτος, ab ursa, vicino sidere; alter Antarcticus nominatur, quia Arctico ex diametro est oppositus.

Arcticus polus, qui & Borealis sive Boreus, & Aquilonaris sive Aquilonius à Borea sive Aquilone vento, qui ab hac plaga spirat, & Septentrionalis dicitur, à septem stellis, quas Triones vocant, est is, qui in his locis, quæ nos incolimus, semper adparet.

Antarcticus, qui & Australis, & Austrinus, & Notius, ab Austro sive Noto vento, & Meridionalis, à mundi plaga dicitur, est is, qui nostro hemisphærio nunquam conspicitur; ed sub Horizonte latet.

Porro Globo terrarum octo præcipui assignantur circuli, bifariam distincti: primum dividuntur pari numero in Majores atque Minores. Majores dicuntur, qui idem cum globo obtinent centrum; ipsumque globum in duas secant partes æquales. Sunt autem Æquinoctialis, sive Æquator, Zodiacus, Horizon, Meridianus. Minores dicuntur, qui diversum habent centrum à globi centro; quique globum in duas parteis dividunt inæquales. Sunt vero, Tropici duo, totidemq; Polares.

Rursus, ex universis circulis quinque dicuntur Recti, sive Paralleli, id est, æqui-distantes, quod eosdem cum universo polos habeant: quodque æqualiter inter se in latitudinem distent. Sunt autem, Æquator, Tropici duo totidemque Polares. Reliqui tres dicuntur Obliqui, quod diversos à mundi polis habeant suos polos.

CAP. III.

De Quatuor Majoribus Circulis.

MAjores Circuli distinguuntur in Fixos, atque Mobiles. Fixi, sive immutabiles, dicuntur, qui eundem perpetuo locum in globo obtinent; ideoque in globi superficie pinguntur. Sunt autem Æquator & Zodiacus. Mobiles sive mutabiles dicuntur, qui non eandem semper in Globo sedem obtinent;

nent; sed multipliciter, pro varia regionum atque locorum mutatione mutantur: ideoque extra Globi superficiem designantur. Sunt Horizon & Meridianus. Sed de singulis agendum.

De Horizonte.

Ὁρίζων, Horizon, Latine Terminator, Finitor, & Finiens, est circulus major mutabilis, qui conspectam mundi partem ab inconspecta dirimit; hoc est, inferius hemisphærium ab superiore. Describitur in theca sive armilla Globi; hujus enim superficies, quæ supera est, vere Horizontis munere fungitur; dirimens globum in duas æquas parteis. Est autem duplex: alter, qui ratione atque intelligentia percipitur; alter, qui sensu. Is qui intelligentia percipitur, est is, qui ad fixarum stellarum orbem pertingit, & in duas æqualeis parteis universam mundi sphæram dividit; ita ut alterum hemisphærium super terram exstet, alterum sub terra condatur: Estque iterum duplex; Rectus & Obliquus. Rectus est, qui per mundi polos transiens, polum seu verticem habet sub Æquatore; quem ad rectos angulos intersecat. Obliquus dicitur, cujus vertex ultra citrave Æquatorem incidit; quique Æquatorem ad obliquos angulos intersecat; altero mundi polorum sursum elevato, altero deorsum de-

presso. hujusmodi Horizontem qui habent, iis Sol & reliqua sidera obliquo adscendunt & descendunt motu. Is vero quem sensu percipimus, est Horizon, qui oculo nostro terminatus, quoad usque conspectus ferri potest, extenditur, dividens partem Orbis, quæ nobis cernitur, ab ea quæ non adparet. cujus diametri longitudo CLXXX stadia, id est, millia passuum XXII cum dimidio, milliaria Germanica V cum V octavis, non excedere putatur; quod oculorum acies non ultra se extendit. Mutabilis dicitur atque multiplex Horizon, quia non potest mutari locus, quo versum eas, quantumvis mutatio ea perexigua sit, quin una varientur horizon, regio, & cœlum. atque hac ratione infiniti possunt fingi Horizontes. Porro Horizontis duo sunt poli; quorum alter Arabico vocabulo, dicitur Semith, corrupte vulgo Zenith: estque punctum perpendiculariter vertici nostro incumbens: alter vocatur Nadir vulgo, at proprie Nathir; superiori ad diametrum oppositus; Antipodum cervicibus incumbens.

De Æquinoctiali.

Æquinoctialis, qui & Æquidialis, Græcè ἰσημερινὸς, & Æquator, est circulus quinque parallelorum maximus, qui globum in duas parteis æquales septemtrionalem & meridionalem dividit, æquali spatio ab utroque polo distans.

distans. quem cum Sol attingit, æquale toto Orbe efficit diei ac noctis spatium ; unde & nomen ei quæsitum. Fiunt autem ejusmodi Æquinoctia, quæ Æquidialia antiquis dicebantur, bis in anno : semel in principio Arietis, quum Vernum, atque iterum in principio Libræ, ubi Autumnale vocatur. Cæterum nautæ Æquatorem vulgo adpellant Mediam lineam, sive nude Lineam κατ' ἐξοχήν.

De Zodiaco.

Ζωδιακὸς, Zodiacus, est circulus major, inter mundi polos oblique locatus ; ex una parte Tropicum æstivum in principio Cancri, ex altera hibernum in principio Capricorni adprehendens ; ac medium intersecans Æquatorem ; à quo vicissim secatur, circa principia Arietis & Libræ : ita uti altera ejus medietas ab Æquatore ad polum Arcticum, altera ad Antarcticum declinet. Dividitur in XII parteis, quæ signa vocantur : unde nomen Latinum Signifer : Græcum vero Ζωδιακὸς ἀπὸ τῶν ζωδίων, hoc est, animalibus, quæ in eo finguntur. quorum nomina, duobus versibus ab Ausonio expressa, sunt ista:

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,

♎ ♏ ♐ ♑ ♒

Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora,

♓

Pisces.

Horum versuum prior Septentrionalia, posterior Australia signa continet. Singulis vero signis xxx tribuuntur gradus; qui computati CCCLX in universum conficiunt; in quos totus distribuitur Orbis terrarum.

De Meridiano.

Meridianus, Græce μεσημβρινὸς, major mutabilis circulus est, qui per polos mundi, & dati cujuslibet loci verticem ductus, Æquinoctialem ex transverso intersecat; totumque terræ Orbem in duas parteis dispescit; altera ejus medietate ad Ortum, altera ad Occasum relicta: ita dictus, quod Sol, cum in nostro hemisphærio eum attingat, apud nos atque omnes eos, qui sub eodem Meridiano, Septemtriones Austrumve versus sunt positi, facit medium diei: ac rursus medium noctis, cum in inferiore hemisphærio ad eumdem perveniat. Hujus igitur potissimum officium est, medium diem mediamque noctem ostendere. Est autem Vertex loci, punctum in cœlo, directe illi loco suprapositum, vel vertici capitis cujusvis hominis perpendiculariter incumbens. Mutabilis dicitur Meridianus, quia si tantillum, ortum occasumve versus progrediaris, alius continuo erit Meridianus: ita uti semper mutetur una nobiscum pro ratione locorum ac regionum, in quibus consistimus. Atque hac ratione infiniti constitui possunt

possunt Meridiani: quot enim puncta verticalia, tot Meridiani dabuntur.

CAP. IV.

De quatuor minoribus Circulis.

DE TROPICIS.

TRopici circuli sunt duo, æquali spatio ab Æquatore distantes: quorum alter, qui nobis propinquior est, Cancri Tropicus; alter in Austrum vergens, Tropicus Capricorni dicitur. Latini Solstitiales adpellant, propterea, quod Solstitia in iis fiunt. hosce quidpe circulos Sol nunquam egreditur, verum quum ad alterum eorum pervenit, retrorsum se convertit: unde & nomen acceperunt, ἀπὸ τῆς τροπῆς, hoc est, à reversione. Tropicus Cancri, qui & æstivus dicitur, est circulus omnium, quos Sol describit, Septemtrioni proximus, in quo quum fuerit Sol, non ultra, Septemtrionem versus progreditur, sed ad alteram mundi partem versus Austrum facit reversionem Æstivam: ubi omnium totius anni longissima in nostro hemisphærio dies, nox vero brevissima. Cancri autem Tropicus dicitur à signo Zodiaci, in cujus principio Sol tunc vertitur. Tropicus Capricorni qui & hibernus & brumalis, circulus est omnium, quos Sol per Mundi conversionem describit, Austro proximus, in quem cum Sol

pervenit, non ultra Auſtrum verſus procedit, ſed ad alteram Mundi partem, verſus Septemtrionem, reverſionem facit hibernam, ſive brumalem: ubi longiſſima totius anni in noſtro hemiſphærio nox, dies vero breviſſima efficitur. Capricorni Tropicus adpellatur à ſigno, cujus principium tunc Sol tranſmittit.

De Arctico.

Polares circuli ſunt duo extimi, polis vicini, æquali ſpatio à ſuo quiſque polo diſtantes. Horum, qui nobis ſemper conſpicitur, Arcticus dicitur, ut ipſe Polus, ἀπὸ τῆς ἄρκτου, ab Vrſa, quia prioribus Vrſæ pedibus deſcribitur, minoris videlicet. Item Septemtrionalis & Borealis, & Aquilonaris; à mundi regione, cui ſubjacet.

De Antarctico.

Alter vero æqualis & parallelus Arctico, Antarcticus dicitur, quod Arctico ex diametro opponitur: totus ſub terra conditus, cujus objectu à nobis haud cerni poteſt. Idem Auſtrinus, ſive Auſtralis & Meridionalis.

Cap. V.

De Zonis.

QVatuor minores circuli totius terræ ſuperficiem in quinque dividunt ſpatia ſeu plagas, quas Zonas vocant Geographi.

Ζώνη,

Ζωνὴ, Latine cingulum, est spatium in globo terræ inter duos circulos minores, vel inter circulum minorem & polum comprehensum. Appellantur autem Zonæ ab habitudine seu natura, una Torrida, duæ Frigidæ, totidemque Temperatæ. Ea, quæ in medio reliquarum sita est, Torrida vocatur à Solis, cujus viæ subjecta est, perpetuo ardore: propter quem vetustissimis mortalium inhabitabilis putabatur. Est autem spatium inter duos Tropicos comprehensum; continens in latitudine grad. XLVII. mediam intersecat circulus Æquinoctialis.

Duæ autem extremæ, quæ sunt circa mundi polos, altera Septemtrionalis, circa polum Arcticum, altera circa Antarcticum, Australis, Frigidæ vocantur; quia longissime à Solis via sepositæ sunt, & ob nimium frigus itidem inhabitabiles veteribus existimabantur. Eas autem disterminant utrimque circuli Arcticus & Antarcticus, suam versus suum quisque polum. A polis etiam dicuntur Polares. Harum quæque complectitur gradus XXIII cum dimidio.

Reliquæ vero duæ, quod in medio inter frigus & ardorem positæ sunt, Temperatæ dicuntur & habitabiles. Harum altera, quæ Arctico & Tropico Cancri finitur, Septemtrionalis, altera, quæ Antarctico & Tropico Capricorni terminatur, Australina sive Austra-

lis & Meridionalis dicitur. Continet quæque gradus XLIII.

CAP. VI.

De Parallelis & Climatibus.

AT distinguitur etiam terræ superficies secundum aliam rationem nempe per quantitatis dierum variationes. Quidpe qui sub ipso Æquatore consistunt, perpetuo diem nocti æqualem XII horarum habent: quanto autem aliqua regio latius ab Æquatore versus alterutrum polum declinaverit; tanto plus æstate diei longissimæ, vel vicissim hyeme noctis quantitas augetur. Proinde Geographi pro diversa quantitatis dierum variatione diversas plagas terræ distinxere, quas vel Parallelos vocarunt, vel Climata.

Paralleli sunt circuli æquali undique spatio abs se invicem distantes, ab occasu in ortum ducti. Hi varii in Globo ad libitum cujusque describi possunt. Verum Ptolemæus, quem plerique alii sequuti sunt Geographi, XXI Parallelos descripsit Septentrionales. hac observata intercapedine, uti dies unus paralleli longissimus, superet paralleli præcedentis diem prolixiorem. Clima autem est terræ spatium duobus parallelis inclusum: in quo, longissimo die dimidiæ horæ variatio, sive auctio fit. Sed nomen Climatis ac Paralleli aliquando circu-

circulum, aliquando ſpatium duobus circulis comprehenſum ſignificat.

Cæterum diſtinguuntur Climata in Septemtrionalia & Auſtralia; utraque ab Æquatore verſus ſuum quæque Polum initia ducentia. Ideoque quorum aliquod Clima fuerit ab Æquatore, tot ſemihoris longiſſimus ejus loci dies ſuperat diem nocti æqualem. & vice verſa, uti ſcire queas, ſub quo Parallelo vel climate quilibet locus poſitus ſit, conſidera numerum horarum, cujus longiſſimus ejus loci dies ſuperat diem Sphæræ rectæ, qui ſemper horarum eſt duodecim; is enim duplicatus oſtendit numerum Climatum: quadruplicatus exhibet numerum Parallelorum.

Cæterum Climata à Veteribus VII tantum numerata ſunt; quod loca ultra ſeptimum Clima, ſibi incognita, vix inhabitari exiſtimarint. Climata autem hæc ab inſignioribus locis, per quæ climatis medium protenditur, nomina acceperunt: ut primum per Meroën, Nilo circumfuſam inſulam & urbem Africæ; ſecundum per Syrenen, Ægypti urbem; tertium per Alexandriam, itidem Ægypti urbem; quartum per Rhodum inſulam; quintum per Romam; ſextum per Pontum Euxinum; ſeptimum per Boryſthenis oſtia. Poſteriores vero qui experti ſunt ulterius habitari terram, fecere XXIV Climata, ad elevationem uſque graduum LXVII. Primum per

Meroën ; ſecundum per Syrenen, ſub Tropico æſtivo ; tertium per Alexandriam ; quartum per Rhodum ; quintum per Romam & Helleſpontum ; ſextum per Mediolanum & Venetias ; ſeptimum per Podoliam & Tartariam minorem ; octavum per Wittebergam ; nonum per Roſtochium ; decimum per Hiberniam ; undecimum per Bohus , caſtrum Norvegiæ ; duodecimum per Gutiam ; tertiumdecimum per Bergos , Norvegiæ oppidum;quartumdecimum per Viburgium,oppidum Finniæ; quintumdecimum per Arotiam Suediæ ; ſextumdecimum per Dalenkaulii fluminis oſtia : reliqua paribus interſtitiis per alia Norvegiæ, Suediæ, Ruſſiæ , & proximarum inſularum loca. Ac certum quidem eſt, ab Æquinoctiali circulo ad eum locum , ubi dies longiſſimus horis XXIV definitur, climata XXIV interjacere , inde vero ad polum climatum diſtinctio minus certa eſt : propterea quod non jam horis dimidiatis , ſed integris primum diebus, mox ſeptimanis , ac tandem totis menſibus dies ita augeantur , ut ſub ipſis polis hemiſphæriorum alterum VI menſium luce perpetua exſiceetur ; altero in denſiſſimis tenebris languente. Cæterum,quæ ratio climatum eſt ab Æquinoctiali ad Arcticum verſus , eadem eſt ab eodem Æquinoctiali verſus Antarcticum & par numerus. Hæc autem climata proprias adpellationes non habent

habent apud auctores, sed ex oppositis nominantur; adjecta præpositione Græca ἀντὶ, ut ἀντὶ Διὸς Μεροῆς, id est, contra per Meroën; & ita deinceps. Possent tamen eodem modo, ut illa, ab suis locis appellari: ut primum clima per Lunæ montes, ac fontes Nili, secundum per promontorium, vulgo dictum *Cabo de Corientes*, sub Tropico hiberno: & sic deinceps. Sed singulorum Climatum, & Parallelorum latitudines ab Æquinoctiali, intervalla ab invicem, & maximorum dierum longitudines, quo facilius intelligantur, tabulam hic adponemus.

Climata.	*Paralleli.*	*Dies longissimi Hor. scr.*	*Latitudo Gr. Scr.*	*Intervalla Climat. Gr. Scr.*
0	0	12 0	0 0	4 18
	1	12 15	4 18	
1	2	12 30	8 34	8 25
	3	12 45	12 43	
2	4	13 0	16 43	7 50
	5	13 15	20 33	
3	6	13 30	23 10	7 3
	7	13 45	27 36	
4	8	14 0	30 47	6 9
	9	14 15	33 45	
5	10	14 30	36 30	5 17
	11	14 45	39 2	

6	12	15 0	41 22	4	30
	13	15 15	43 32		
7	14	15 30	45 29	3	48
	15	15 45	47 20		
8	16	16 0	49 1	3	13
	17	16 15	50 33		
9	18	16 30	52 58	2	44
	19	16 45	53 17		
10	20	17 0	54 29	2	17
	21	17 15	55 34		
11	22	17 30	56 37	2	0
	23	17 45	57 34		
12	24	18 0	58 26	1	40
	25	18 15	59 14		
13	26	18 30	59 59	1	26
	27	18 45	60 46		
14	28	19 0	61 18	1	13
	29	19 15	61 53		
15	30	19 30	62 25	1	1
	31	19 45	62 54		
16	32	20 0	63 22	0	52
	33	20 15	63 40		
17	34	20 30	64 6	0	44
	35	20 45	64 30		
18	36	21 0	65 49	0	36
	37	21 15	65 6		

19	38	21	30	65	21	0	29
	39	21	45	65	35		
20	40	22	0	65	47	0	22
	41	22	15	65	57		
21	42	22	30	66	6	0	17
	43	22	45	66	14		
22	44	23	0	66	20	0	11
	45	23	15	66	25		
23	46	23	30	66	28	0	5
	37	23	45	66	30		
24	48	24	0	66	31	0	0

Menſes.		
1	67	15
2	69	30
3	73	20
4	78	20
5	84	0
6	90	0

CAP. VII.

De Globi in partes CCCLX *ſectione; item de ambitu terræ; & de longitudine ac latitudine ejus.*

OMnis circulus à Geometris in CCCLX parteis ſecatur: quam ſectionem & Sphæra Globuſque admittit.

Terra

Terra igitur, quemadmodum Sphæra, in CCCLX parteis, qui gradus dicuntur, distribuitur. Singuli gradus in LX distribuuntur scrupulos, qui sunt totidem millia passuum Romanorum seu milliaria Italica. Horum quatuor conficiunt unum milliare Germanicum commune. hinc singuli gradus XV milliaria Germanica continent. Hæc computata conficiunt milliaria in universum quinquies mille quadringenta: quæ est circumferentia totius terrarum Orbis. Hinc diameter ejus fit milliarium mille septingentûm octodecim, cum duabus undecimis, cujus semissis, sive semidiameter, est à superficie ad centrum milliarium octingentûm quinquaginta novem, cum una undecima.

Cæterum gradus, per quos terra describitur, alii sunt longitudinis, alii latitudinis. Longitudines distinguuntur per circulos meridianos, latitudines per parallelos. Meridiani inscribuntur Globo XXXVI, x singuli gradus continentes. qui numerus multiplicatus CCCLX conficit gradus. Sed primum Meridianum Ptolemæus in Fortunatis, quas nunc Canarias vocant, posuit insulis: Hispanorum postea nautæ in Assoribus insulis: alii etiam in medio Hispaniæ, Paralleli ab Æquatore ad alterutrum Polum notantur IX, x itidem gradus singuli continentes. hoc itaque numero quadruplicato, paralleli in universum

erunt

erunt xxxvi ; ut in longitudine. Longitudo igitur regionis est spatium Æquatoris, duobus Meridianis, uno Assorum Insularum, unde initium ducitur, altero ipsius regionis aut loci, comprehensum. Latitudo vero est loci seu regionis ab Æquatore versus alterutrum polum recessus. Hinc poli elevatio eadem est, quæ latitudo regionis. Cæterum latitudo duplex est ; altera in nostro hemisphærio, ab Æquatore ad Polum Antarcticum, Septemtrionalis ; altera in inferiori hemisphærio, ab Æquatore ad Polum Antarcticum, Australis.

CAP. VIII.

De quatuor Mundi Regionibus, & de Ventis.

OMne hoc, cui Mundi Cœlique nomen inditum, unum est, & uno ambitu se cunctaque amplectitur, partibus differt ; quæ Regiones Mundi seu Cardines vocantur. unde Sol oritur, Oriens nuncupatur, sive Ortus : quo demergitur, Occidens, sivè Occasus : qua decurrit, Meridies : ab adversa parte, Septemtrio. His quatuor aliæ interponuntur regiones. Inter Septemtrionem & Orientem Æquinoctialem Oriens Æstivus ; qui & Ortus Solis æstivi dicitur. Inter Orientem Æquinoctialem ac Meridiem, Oriens Hibernus sive Brumalis ; qui & Ortus Solis Hiberni,

sive

sive Brumalis. Inter Septemtrionem & occidentem Æquinoctialem, Occidens Æstivus ; sive Occasus Solis æstivi. Inter Occidentem Æquinoctialem & Meridiem, Occidens hibernus sive brumalis, qui & Occasus Solis hiberni sive brumalis.

Cæterum IV Mundi regionibus seu cardinibus, IV Principes assignantur Venti ; qui inde Cardinales vocantur. Nomina eorum atque regiones sic referuntur ab Ovid. in Trist. lib. I. Eleg. 2.

Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu ;
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest :
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto,
Nunc Notus adversa prælia fronte gerit.

Sed cum Græca hæc sint vocabula, Latinis ab Septemtrione flans dicitur Aquilo ; ab Oriente Subsolanus ; à Meridie Auster ; ab Occidente Favonius. Sed hæc commodius ex typis noscuntur. *A*

Verum hic ventorum nominibus tam varios varii simul veteres atque recentiores auctores attribuerunt situs ; uti unum certum Typum ex universorum sententiis componere nequeas. Cætero Internum mare, quod inter Europam, Asiam & Africam diffunditur, navigantes Itali, sic ventos in XVI parteis distribuunt. *B*

Exter-

Ad pag. 20. Ad lit. A.





Ad lit. B.


TRAMONTANA
Greco
LEVANTE
Sirocco
OSTRO
Garbino
PONENTE
Maestro
Maestro Tramontana
Tramontana tra Greco
Greco Levante
Sirocco Levante
Ostro Sirocco
Ostro Garbino
Ponente Garbino
Ponente Maestro

Ad lit. C.


NOORD
Noord ten Oosten
Noordnoord Oost
Noordoost ten Noorden
Noord Oost
Noordoost ten Oosten
Oost Noord Oost
Oost ten Noorden
OOST
Oost ten Zuyden
Oost zuydoost
Zuyd Oost ten Oosten
Zuyd Oost
Zuydoost ten Zuyden
Zuyd Zuyd Oost
Zuyd ten Oosten
ZUYD
Zuyd ten Westen
Zuyd Zuydwest
Zuydwest ten Zuyden
Zuydwest
Zuydwest ten Westen
West Zuydwest
West ten Zuyden
WEST
West ten Noorden
West Noordwest
Noordwest ten Westen
Noord West
Noordwest ten Noorden
Noordnoord West

Externum mare sive Oceanum navigantes Europæi omnes Germanicis utuntur vocabulis, varie tamen ad suam quique linguam detorquentes. Germani sic in XXXII nomina distribuunt. C

CAP. IX.

De locorum Mensuris.

ROmani locorum intervalla per millia passuum, quæ milliaria dicebantur, dimensi sunt. Singula millia passuum quum lapidibus sive cippis notarentur, ipsa inde milliaria lapides appellarunt: ut ad decimum lapidem, id est, ad decimum milliare. Quatuor millia passuum conficiunt unum milliare Germanicum commune. hinc gradus unus in Globo terræ continet millia passuum LX; milliaria autem Germanica communia XV. Græci sua intervalla per stadia dimensi sunt. Stadium est CXXV passuum; hinc octo stadia conficiunt unum milliare Romanum, id est, mille passus, XXXII stadia constituunt milliare Germanicum commune. Persæ suas habuerunt in dimetiendis intervallis Parasangas: quarum singulæ XXX continuerunt stadia. Ægyptii habuere Schœnos; sed dispares inter se longitudine. alii enim Schœno XX tribuunt stadia; alii XL; alii XX tantum. Hodie milliarii vocabulo utuntur maxime Ger-

Germani, Dani, Norvegii, Suedi, Angli, Scoti; quibus est *meile* & *mile*. item Poloni & Bojohæmi; aliæque Slavicæ gentes; quibus est, *mila* & *mle*: item Itali; quibus *miglio*. Hispani & Galli sua intervalla demetiuntur per leugas sive leucas: quas illi *leguas*; hi *lieues* appellitant. Itali etiam & Angli de Germanorum, Slavorum, Hispanorum, Gallorumque intervallis loquentes, per leugas indicant, quæ illis *leghe*, his *leagues* dicuntur. Rusi sive Moscovitæ suam locorum mensuram agunt per spatia, quæ patria lingua vocant *voreſt*. Sed horum omnium mensuræ & comparationes ex typo quam facillime cognoscuntur.

Sed notandum, quod nulla gens æquis ubique utitur intervallorum mensuris. nam ut Germanis, pro ratione variarum regionum, milliaria alia dicuntur magna, alia parva, alia communia, quorum XV unum constituunt gradum in Globo Terræ: sic Hispanis quoque & Gallis leucæ sunt inæquales, & aliis itidem gentibus milliaria. Anglorum quoque plerique Mathematici LX milliaria tribuunt uni gradui cum Italis.

CAP. X.

De Oceano, ejusque partibus.

TErra, in mundi medio tanquam in centro posita, mari undique omnis cingitur. Totum autem mare, seu quicquid aquarum terris passim infusum, universum Orbem ambit, id uno nomine Oceanus nuncupatur. qui postea nominibus, ut locis, differens, in varia maria ac sinus varie distribuitur. Ac primum quatuor adpellationes, ex IV Mundi regionibus accipit. Ab Oriente Eous dicitur, id est, Orientalis: ab Occidente Occiduus sive Occidentalis: à Meridie Notius, id est, Australis: à Septemtrionibus Septemtrionalis. Præter hæc, prout quamque regionum perfundit, diversa à littoribus suis vocabula trahit. A Septemtrionibus, qua Sarmatiæ adfunditur, inter Lappiam & flumen Obium, Sarmaticus; qua Scythiæ, Scythicus appellatur Oceanus. Sed à toto Septemtrione etiam Hyperboreus dicitur, à gente in extimo hoc Septemtrionis littore posita. idem mare Cronium; quod Saturnus his locis regnare dicitur, sidus frigidum. eadem ex causa Concretum, & Amalchium; quod gentis olim illius lingua Congelatum significabat: & Morimarusa: quod Mare mortuum: ob perpetuam caliginem, & alienum molliorum siderum

rum inibi adspectum ; maligna , ac pruina tantum albicante luce ; ut inquit Plinius. Tacito , est Mare pigrum ac prope immotum. Ab Oriente Sericus dicitur ad Sericam regionem, quæ nunc est *Kitaia* : & Sinensis ad regionem Sinarum, quæ vulgo Hispanis *China* vocatur , id est , si Germanicis scribas literis, *Tschina*. Hinc sequitur Hippadis pelagus, vulgo Archipelagus S. Lazari, ob multitudinem insularum in eo, ad comparationem Archipelagi Europæi , id est , Maris Ægæi , sic dictus. Inde à Meridie Oceanus est Indicus, qua Indos, Persas atque Arabas Æthiopasque ab Oriente alluit. Hic vero ea parte , qua à Gange Indiæ flumine adfunditur, Gangeticus dicitur ; vulgo nunc Bengalensis sinus, ab Indiæ urbe *Bengala* : qua Persidem tangit, Persicum mare: mox Arabicum, qua Arabiam ab Austro percutit. hinc ad Cernen seu Minuthiam insulam , quæ vulgo est *Madagascar*, Asperum ; ob brevia & syrtes, quibus refertum. At totum hoc mare Indicum , quod Gangetici, Persici, Arabici , & Asperi nominibus distinguitur , alio nomine mare Rubrum Latinis , Græcis Erythræum dicitur ; quod à Solis repercussu talem reddi colorem, alii ab arena terraque , alii talem ipsius esse naturam existimarunt ; vel , ut alii , quorum verior videtur sententia, à Rege Erythra, cujus sepulchrum in Ogyri insula ejusdem maris

Typus intervallorum variarum gentium. Ad paginam 25.





ris erat. Porro à mari Erythræo promontorioque Bonæ Spei, pars altera Meridionalis Oceani incipit, versus Occasum, Oceanus Æthiopicus, seu mare Æthiopicum, qua Æthiopia alluitur, adusque Ostia fluminis Nigri. Inde jam est Atlanticus Oceanus (ab Atlante, Mauritaniæ monte, vel ejus promontorio dictus) seu mare Atlanticum, ad Hispaniæ usque promontorium Artabrum, vulgo *Cabo de Roca*. Hinc Oceanus Gallicus ad promontorium usque Galliæ Celticæ, vulgo *le Four*. At idem, qua Cantabriam Hispaniæ regionem alluit, Cantabricus adpellatur: qua Aquitaniam, Galliæ provinciam, Aquitanicus. mox Britannicus est, inter Britanniam & Galliam; inter Hiberniam & Britanniam Hibernicus: & supra Scotiam, quæ quondam Caledonia dicta, Caledonius, qui apud Ptolemæum mendose est Deucaledonius. Vltra Britanniam, adusque Cimbros sive Iutiam, Daniæ regionem, Germanicus Oceanus Germaniam lambit.

Hæc igitur sunt nomina, in quæ totus Oceanus à Veteribus divisus, hodieque maxima ex parte servat. Cæterum quum in ulteriores mundi parteis postmodum navigatum sit, Oceano recens conspecto recentia quædam imposita sunt vocabula; in quatuor scilicet parteis universo Oceano diviso. Quicquid aquarum inter Asiam, Americam & Magel-

Magellanicam, seu Australem terram interfusum est, Hispani *Mar del Zur*, id est, Mare Australinum, & alio nomine Pacificum nominant, à fluctuum placiditate. Hinc quod inter Americam, Europam & Africam, adusque lineam Æquinoctialem protenditur; *Mar del Nort*, id est, Septemtrionale: ultra lineam, inter Americam, Africam & Australem terram, *Mar d'Ethiopia*, hoc est, Æthiopicum: inter Africam, Asiam, atque Australem, *Mar d'India*, hoc est, Indicum. Atque hæc de Oceano, quatenus oras terrarum extimas amplectitur.

CAP. XI.

De Magnis sinubus Oceani.

IN gremiis autem Terræ describuntur, ad nostram continentem, quæ in Europam, Asiam & Africam distinguitur, sinus magni à veteribus quinque. Primus est ingens ille Plinii sinus Codanus, quod Tacito Mare Suevicum, à Suevis olim accolis, dicitur: idem vulgo nunc Balticum, & Germanico vocabulo *die Oost-Zee*, Mare Orientale, inter Pomeraniam, Daniam, Suediam, Livoniam ac Prussiam. Secundus est, qui medius inter Europam, Africam & Asiam, ad paludem usque Mæotin protenditur: unde maris mediterranei vulgare nomen traxit, Latinis olim Internum

ternum mare dictum. Tertius dicitur, Persicus; qui latere suo dextro Persidem radit. Quartus, qui litore dextro Arabiam perfundit, Arabicus. Hic in sacris libris adpellatur Rubrum mare; quia sinus est maris Erythræi, sive Rubri: hodie etiam vulgo *Mare Rosso*: idem *Mar di Mecca*, ab urbe natalibus Mahumetis celebri. Quintus habebatur Caspius, seu Hircanus: cui nomina à binis populis accolis quæsita sunt. Hunc prisci inter sinus numerabant, quia Oceanum Scythicum ab Septemtrionibus eum recipere opinabantur; ut Indicus Arabicum & Persicum ab Austro. Herodotus tamen, antiquissimus scriptor, & item Aristoteles atque Diodorus, ab hac opinione dissentientes, mare id per se esse tradiderunt, nec Oceano misceri. hinc Ptolemæus lacum quam mare adpellare maluit, qui pedibus circuiri possit. huic rei recentiores quoque adstipulantur. vulgato tamen nomine etiam nunc mare dicitur Caspium atque Hircanum: vulgo *Mar de Sala*, ab urbe adposita, & Russis accolis *Chvvalenske more.*

CAP. XII.

De Mari Interno.

OCeanum, parteisque ejus, ac sinus præcipuos diximus. ex his mare Internum,

quia omnium celeberrimum est, pluribus adhuc est dicendum. Oceanus igitur Atlanticus ab occasu Solis per Fretum Gaditanum irrumpens, scissis utrimque (id veteres credidere) ab Hispania Calpe, ab Africa Abyla montibus, quos Columnas Herculis dixere, quasi laborum ejus metas, inter Europam & Africam Asiamq; diffunditur; unde Mediterranei vulgare nomen ei quæsitum. Fretum ipsum, quod tanquam limen ejus est, cognominatur Gaditanum, à Gadibus insula celebratissima ante sita; & alio nomine Herculeum, à fabuloso Herculis ex Africa in Hispaniam transitu. Intranti ipsum mare, à lævo latere Europa est, à dextro Africa: inter has ad imum recessum Asia. Diffunditur autem mare in varia nomina, prout regionum litoribus adfunditur. Ad Iberiam, id est, Hispaniam, dicitur Ibericum sive Hispanicum mare: circa Baleares Insulas, Balearicum: ad Narbonensem Provinciam, Gallicus sinus: mox Ligusticus ad Liguriam: ab eo ad Siciliam Tuscum mare: quod Græci Tyrrhenum, Latini Inferum vocarunt: circa Corsicum insulam Corsicum est mare: circa Sardiniam Sardoum: à Sicilia Cretam usque Siculum. Inde Creticum ad Cyprum usque: mox Cyprium, ad Asiæ usque continentem. Inter Siciliam, Italiam, & Græciam, Ionium dicitur mare, cujus pars sinus Adriaticus, inter Italiam & Illyricum; ab

Adria

Adria urbe quondam sic dictus. Idem & Superum vocatur mare, respectu Inferi quod est Tyrrhenum. Adriatici iterum partes sunt, Illyricum mare ; & hujus rursum partes duæ, Dalmaticum ad Dalmatiam , Liburnicum ad Liburniam. inter Siciliam & Adriaticum sinum Ausonium dicitur mare : quia hæc pars Italiæ quondam vocabatur Ausonia. Sed postea omne hoc mare inter Italiam & Illyricum , Græciam atque Siciliam , Adriaticum est dictum , quod alio nomine erat Ionium. idem & Siculum. Inter Peloponnesum & Achajam Corinthiacus est sinus. Inter Græciam , Cretam Insulam , & Asiam , Ægæum est mare ; quod nunc *Archipelagus*, innumeris Insulis refertum. Id etiam varia ab Insulis, quas alluit, sortitur vocabula : ut ad Myrton dicitur Myrtoum ; ad Icariam, Icarium ; ad Carpathum , Carpathium ; alibi aliter. Hinc vastum mare inter Europam Asiamque angusto iterum meatu irrumpit inter terras, in magnumque sinum effunditur. Primas angustias Hellespontum vocant : qua Xerxes Rex Persarum constrato in navibus ponte duxit exercitum , Græciæ bellum inferens. porrigitur inde tenuis Euripus. mox exspatiatur æquor : rursumque in arctum coit. Laxitas Propontis adpellatur ; ceu vestibulum Ponti: angustiæ Bosphorus Thracius; à meatibus boum perviis; qua Darius, pater Xerxis,

Xerxis, copias ponte transvexit. hinc vastum rursus mare Pontus Euxinus à moribus accolarum adpellatus, quondam Axenus, longe refugientes occupat terras; magnoque litorum flexu jungitur Mæotici lacus ostio; quod Bosphorus vocatur Cimmerius. ipse lacus Mæotis Tanaim amnem, novissimum inter Europam Asiamque terminum recipit. Atque hactenus partes interni maris dictæ sunt, quatenus Europam alluit. Porro ad Asiam post Ægæi nomen Carium vocatur, qua Cariam perfundit: Rhodium, circa Rhodum Insulam; Pamphylium ad Pamphyliam; Cilicium ad Ciliciam: mox Syrium sive Syriacum apud Syriam. Inter Ciliciam, Syriam & Cyprum insulam vocatur Cyprium mare, & Issicus sinus, ab Isso celebri Ciliciæ urbe. Ad Phœnicen Phœnicium est; ad Palæstinam Palæstinum; ad Iudæam Iudaicum; ad Ægyptum Ægyptium sive Ægyptiacum; ad Cyrenaicam regionem Cyrenaicum. Hinc ad Libyam, id est, Africam, Libycum sive Africum: ad Numidiam Numidicum; ad Mauritaniam Mauritanicum.

CAP. XIII.

De navigatione Oceani.

OCeanum Atlanticum, qui est inter Europam, Africamque & Americam, antiqui

qui mortales quando primum navigare cœperint, haud facile dictu est. Notam fuisse Ægyptiis Græcisque terram Americam, eoque Carthaginenses navigasse, post suo loco ostendam. Nostra atque avorum nostrorum memoria omnis Terræ Orbis jam aliquoties circumnavigatus est. Medio Mundi sæculo, quum Græcis Romanisque una tantum continens, quam Europæ, Africæ Asiæque nominibus distinxerant, cognita fuerit; de hujus circumnavigatione narrat Plinius lib. II. cap. LXVII, à Gadibus Columnisque Herculis Hispaniæ & Galliarum circuitu totum sua ætate navigatum fuisse Occidentem. Septemtrionalem autem Oceanum majore ex parte navigatum auspiciis Divi Augusti, Germaniam classe circumvecta usque ad Cimbrorum promontorium, & inde immenso mari prospecto, aut fama cognito, ad Scythicam plagam & humore nimio rigentia. quod Tiberii ductu factum, ex Velleii libro secundo prospicitur. Idem Plinius eodem loco auctor est, Alexandri Magni victorias majorem partem meridionalis orientalisque Oceani perlustrasse, usque in Arabicum sinum. in quo etiam postea res gerente C. Cæsare, Augusti filio, signa navium ex Hispaniensibus naufragiis fuisse agnita. Carthaginis vero potentia florente, Hannonem, circumvectum à Gadibus ad finem Arabiæ, navigationem

eam prodidisse scripto: sicut ad extera Europæ noscenda missum eodem tempore Hemilconem. Præterea Nepos Cornelius auctor est apud eundem Plinium, Eudoxum quendam sua ætate, quum Lathyrum Ægyptii Regem fugeret, Arabico sinu egressum, Gadeis usque pervectum. multoque ante eum Cælius Antipater ibidem adfirmat, vidisse se, qui navigasset ex Hispania in Æthiopiam commercii gratia. Idem Nepos, eodem loco apud Plinium, de Septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, Galliæ Proconsuli, Indos à Rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Hodie tamen ea navigatio sæpius ab Hollandis Anglisque tentata, numquam perfici potuit; perpetua glacie & diuturnis tenebris obsistentibus. Illa, quæ à Plinio narrantur, si vera sint; jam totus hic noster Orbis circumnavigatus fuit.

CAP. XIV.

Summa totius orbis divisio.

DE aquis, id est, de Oceano ejusque partibus, hactenus in compendio dixisse sufficiat. nunc terras exponamus. Totus igitur terrarum Orbis in treis potissimum parteis, sive in tres Insulas magnas, quas Oceanus circum-

ORBIS TERRARUM TYPUS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0064

cumfluus efficit, divisus est: quarum prima est quam nos incolimus; altera America; tertia Magalanica; eadem terra Australis & Incognita vocitata; quia præter litora, nihildum à nobis cognitum est. Ex his tribus Insulis, sive eas treis continenteis adpellare libeat. primo loco eam explicabimus, quam nos incolimus, ut quæ nobis patria est; quamque jam dudum cognitam plurima ex parte habemus. Hæc quibus Oceani nominibus cingatur, supra memoratum est. De cætero & ipsa in treis potissimum omni ævo divisa fuit parteis; quarum nomina, Europa, Asia & Africa. hancque divisionem à numero filiorum Noachi habere putatur: Schemo obvenisse Asiam; Chamo Africam; Iapheto Europam. quanquam primi earum limites, pro imperiorum, quæ exorta sunt, ratione, vel etiam Geographorum libitu, mutati fuerunt; ita uti nonnulli Chami Iaphetique partes Schemi posteris accesserint. Nec quidem posteriores mortales, qui circa medium mundi sæculum fuere, uno eodemque modo eas divisere. alii quidpe duas tantum ejus constituerunt partes; idque bifariam: quidam Asiam atque Europam; Africam sub hujus nomine comprehendentes, tanquam partem; sciissis utrimque (id crediderunt) Calpe & Abyla montibus, freto divulsam: alii itidem duas à freto Gaditano ad Tanaim amnem; hinc

Europam, inde Asiam; sub qua Africam etiam intellexerunt. Alii rursus in IV parteis distribuerunt; Europam, Asiam, Ægyptum & Africam. Hinc alii postea, qui treis ejus parteis posuere, Europam, Asiam & Africam; Asiæ Ægyptum tribuerunt; quamvis minus commode minusque rite Nilum terminum inter Asiam Africamque statuentes: qua ratione pars altera Ægypti Africæ, altera Asiæ accessit. Novissimi sinum Arabicum terminum inter Asiam & Africam ponentes, Ægyptum Africæ adjecerunt. Atque hæ quidem universi orbis variæ partitiones atque limites diserte apud veteres auctores passim exstant. De termino autem inter Europam Asiamque obscurior ac minus certa est traditio. nam qui Tanaim flumen statuerunt, fontem ejus per summum errorem in Riphæis montibus, haud procul Oceano Sarmatico posuerunt, qua Petzora eos perrumpit amnis. alii vero, qui Isthmum, qui est inter Ponticum Caspiumque maria, pro fine constituerunt; his persuasum fuit, Caspium mare esse sinum Oceani septemtrionalis, ea regione, qua Obii amnis immensum est ostium, irrumpentem. nam omne litus, quod est sub Septemtrionibus ab occasu in ortum versus ad Obii usque ostium, ad Sarmatiam pertinet: Sarmatia autem pars est Europæ. Itaque verum certumque terminum inter

Europam



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0071

Europam Asiamque uti habeas ; statue post mare Ægæum, Hellespontum, Propontidem, Bosphorum Thracium, Pontum Euxinum, Bosphorum Cimmerium, lacumque Mæotin, primum Tanais fluenta, donec adverso amne ad flexum ejus pervenias, apud Tujam oppidum : inde lineam duc ad proximam Obii fluminis ripam. hinc pone ipsum flumen Obium ad Oceanum usque.

LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

Summa Europæ descriptio.

Primvm ergo de Europa dicemus, longe terrarum celebratissima, cum ob armorum virtutem, tum propter literarum gloriam, quibus omni ævo reliquis Orbis partibus antestitit. Terminos habet, ab Oriente, qua Asiæ jungitur, quos superiori capite diximus ; à meridie, mare Internum, fretum Herculeum, & Atlanticum mare : ab Occidente item mare Atlanticum : ab Septemtrionibus mare Hyperboreum, sive Septemtrionale. Longitudo ejus summa est inter Hispaniæ promontorium Sacrum, quod

vulgo nunc dicitur, *Cabo de Vincente*, ad Obii fluminis ostium, milliarium Germanicorum circitet IↃ CCCC : latitudo maxima à Tænaro Peloponnesi promontorio ad Scitosinniæ promontorium Rutubas, vulgo nunc *Noortkyn* dictum, mill. IↃL. Divisa olim fuit in varias gentes Regionesque ; quarum nomina, etiam nunc clara, sunt ista : Hispania, Gallia, Germania, Vindelicia, Rhætia, Italia, Noricum, Pannonia, Illyricum, Epirus, Græcia, Macedonia, Thracia, Mœsia, Dacia, & Sarmatia. In insulis vero Oceani maximis, Britannia, Hibernia, Thule : maris interni, Baleares duæ, Sicilia, Sardinia, Corsica, Creta, Eubœa, cum aliis minoribus sine numero. Hodie dividitur in complura regna, atque Principatus. Regnorum præcipua sunt, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Norvegia, Suedia, Dania, Germania, quod nunc Romanum vocatur Imperium ; dein Polonia, Bojohemia, Vngaria, Slavonia, Croatia, Dalmatia, Bosnia, Servia, Bulgaria, Tattaria minor, sive Precopensis ; item Regnum Neapolitanum, & Sicilia. Archiducatus unus est Austriæ, magni ducatus tres, Moscovia, Lituania, & Tuscia. Ducatus & Principatus innumeri. Figuram universæ Europæ Strabo dedit Draconis, cujus caput Hispania, collum Gallia, corpus Germania, alæ dextra lævaque Italia ac Cimbrica peninsula.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0076

sula. Nostro ævo quidam fœminæ sedentis speciem ei tribuerunt, cujus caput Hispania, collum extrema Gallia, qua Pyrenæis subjacet montibus: pectus ipsa Gallia, Brachia Italia ac Britannia, venter Germania, umbilicus Bojohæmia. reliquum corporis sub vestibus late circa sedem diffusis implent Norvegia, Dania, Suedia, Finnia, Livonia, Lituania, Prussia, Polonia, Vngaria, Slavonia, Croatia, Dalmatia, Græcia, Thracia, Servia, Bulgaria, Transilvania, Valachia, Moldavia, Tattaria Precopensis, & Moscovia. Sed summa Europæ in parteis divisio postquam tradita est, singulas nunc ejus regiones inspiciamus.

Cap. II.

De Hispania.

PRima terrarum est Hispania; altrix semper Martiarum gentium regio; omni materia adfluens, quæcunque aut pretio ambitiosa est, aut usu necessaria: viris & equis abundat: metallis auri, argenti, æris, ferri, plumbi albi nigrique tota ferme scatet: frumenti, maxime vero vitium ac oleæ adeo ferax, ut, sicubi ob penuriam aquarum effœta ac siti dissimilis est, linum tamen & spartum alat. Atq; de hac Hispaniæ fertilitate quum omnes fere prisci Geographi consentiant, errare

mihi videntur, qui Græco vocabulo eam Σπανίαν, ob raritatem incolarum, ac locorum asperitatem sterilitatemque, dictam suspicantur. quanquam hac nostra ætate ubertas ejus præ aliis terris prædicari nequeat. Ab Hispano Rege dictam vult Iustinus. ego ab urbe Hispali, ceu quondam totius regionis capite, nuncupatam conjecerim. Græci ab initio vocaverunt Iberiam, à flumine ejus celebratissimo Ibero; non ab Iberis Asiæ populis, quos in Hispaniam perveniſſe Varro tradidit. Iisdem Græcis fuit Hesperia; quod in Occidentem versus ipsis sita fuerit. Terminos habet ab ortu ac meridie Internum mare, Fretum Gaditanum, & Oceanum Atlanticum: ab occasu eundem Oceanum: à Septemtrionibus Oceanum Cantabricum, & Pyrenæa juga, quibus à Gallia submovetur. Longitudo ejus summa à sacro promontorio, quod vulgo est *Cabo de S. Vincente*, ad usque Salsulæ fontem, vulgo *Salsas*, in finibus Galliæ ad mare Internum, milliarium Germanicorum est circiter CXC. Latitudo à Celtico promontorio, quod vulgo *Cabo Finis terræ*, ad usque promontorium Saturni, vulgo nunc *Cabo de Palos*, milliarium CL. Oceani internique maris circumfusione pene insula efficitur: Pyrenæis jugis transitum maris arcentibus. Strabo corio bubulo expanso eam adsimilat.

CAP.

Cap. III.

Divisio Hispaniæ veteris.

Divisa fuit olim Romanis in tres provincias; Bæticam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Bætica clauditur à Septemtrionibus & Occasu flumine Ana; à meridie Oceano & mari Interno, usque ad Murgim opidum, vulgo hodie *Almeria* dictum; ab ortu Tarraconensi jungitur Provinciæ; à qua recta linea, ab Murgi ad opidum, quod vulgo dicitur *Ciud ad Real*, & Anam amnem ducta, discernitur. dicta Bætica, à flumine Bæti, mediam secante. Cæteras provincias diviti cultu & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit. Partem ejus, quæ Bætim Anamque Amneis inter, Bæturia dicta fuit, Turduli versus Ortum, Celtici versus Occasum in Lusitaniam usque protensi tenuere. Hodie universa Bætica continet duo Regna Hispaniæ, Granatam & Andalusiam, partemque Castiliæ Novæ, & Estremaduram, Lusitania terminatur à Septemtrione flumine Durio, ab Occasu Oceano, à Meridie Ana fluvio; ab Oriente linea à Civitate Regali ad Samoram opidum, apud Durium flumen ducta, à Tarraconensi provincia separatur. Dictam voluerunt antiqui Lusitaniam à Luso ac Lysa, fabulosis Bacchi comitibus. habet Olyssiponem

nem opidum ad Tagi amnis ostium, quod ab Vlysse conditum esse fabulati sunt. continet hodie totum ferme Regnum Portugalliæ, partem Castiliæ Veteris, partemque Novæ. Reliquum vero Hispaniæ occupat Tarraconensis provincia, à Tarracone, capite suo, cognominata. In hac populi fuere, quorum nomina olim clara; Celtiberi, dextram Iberi fluvii ripam late accolentes: quorum caput Segobriga, nunc *Segorbe* vulgo dicta: & clara Romanorum eversione Numantia, nunc *Almasan*: regio ipsa Celtiberia. hinc Vascones; qui maxima pars hodie Navarræi Regni, Pirenæis montibus adfixa. Horum caput Pompelon, sive Pompejopolis, nunc vulgo *Pompelona*. Varduli, hodie *Guipuscoa*: quorum caput Flaviobriga, nunc *Bilbao*. Cantabri; qui nomen Oceano Cantabrico dedere; nunc *Biscaja*: caput Iuliobriga, hodie *Val de Viece*. Astures; nunc *Asturias*: quorum caput Asturica, nunc *Astorga*, urbs quondam magnifica. Gallæci, inter Minium & Durium amneis; quorum Brigantia, hodie *Bragança*; pars nunc Portugalliæ. Vaccæi, quorum Pallantia, vulgo nunc *Palencia*. Carpetani, quorum Toletum, nunc *Toledo*: & Complutum, nunc *Alcala de Henares*. Sub his versus meridiem fuere Oretani. Complectitur tota Tarraconensis provincia regiones hodie istas; Murciam, Valentiam, Cataloniam,

Arra-

Arragoniam, Navarram, Biscajam, Asturiam, Gallæciam, Legionem, Castilias Veterem ac Novam fere totas. At eadem Hispania distincta etiam fuit Romanis duabus tantum provinciis; Citeriore, & Vlteriore; unde sæpissime Hispaniæ plurali numero dicuntur hæ terræ. Citerior Hispania est eadem quæ Tarraconensis provincia: Vlterior Bæticam ac Lusitaniam complectitur. Dictæ sunt Citerior atque Vlterior, respectu Vrbis Romæ: sicuti & Galliæ duæ.

CAP. IV.

De Nobilioribus Hispaniæ fluviis, & urbibus olim claris.

FLuvii majori fama celebrati sunt; in Tarraconensi Iberus, vulgo nunc *Ebro* dictus, navigabili commercio dives: in Bætica Bætis, vulgo nunc *Guadalquivir*: inter Bæticam ac Lusitaniam Anas, nunc *Guadiana*: totus ad Medelinam opidum cuniculo secondens, post octavum circiter milliare Germ. renascitur. Tagus, vulgo accolis *Tajo*, in Tarraconensi provincia ortus, Oceanum intrat; mediam Lusitaniam secans; auriferis quondam arenis celebratus. Inter Lusitaniam & Tarraconensem provinciam Durius, vulgo *Duero*, supra Numantiam in Celtiberis ortus, in eundem effunditur Oceanum.

Vltra

Vltra est in Gallæcia Minius, vulgo nunc *Minio* dictus. Sub Pyrenæo autem Sicoris, vulgo *Segre*, Ilerdam opidum præterlapsus, in Iberum defluit.

Vrbium tota Hispania clarissimæ fuere olim; in Bætica Astigi, nunc vulgo *Ecya*; Hispalis, nunc *Sivillia*; & Corduba, nunc *Cordova*. In Lusitania Augusta Emerita, nunc *Merida*. in Tarraconensi, Pallantia & Numantia, ante memoratæ; item Tarraco, vulgo *Tarragona*, Scipionum opus, maritimarum in his locis olim opulentissima; Cæsar augusta, sive Cæsarea Augusta, vulgo *Caragoça*; hodie etiam omnium Hispaniarum splendidissima; Asturica ante dicta. Sed & Carthago Nova, vulgo *Cartagena*, clara fuit à conditoribus Pœnis; & Saguntus, nunc *Morviedro*, fide atque ærumnis inclytum nomen reliquit.

Cap. V.

De incolis Hispaniæ, ac recentiori ejus divisione.

Tubalem, Noachi nepotem, in Hispaniam primum perveniſſe, post aquarum inundationem, in dispersione gentium, adfirmant nostri sæculi scriptores ex Iosepho: qui tamen Tubalem in Asiæ Iberia inter Ponticum Caspiumque maria statuit. Haud minori

nori errore, in universam Hispaniam pervenisse Iberos ex Asia & Persas, tradidit M. Terentius Varro. Celtarum gentem, ab Aschenaze propagatam, omnem post terrarum inundationem obsedisse Hispaniam, Galliamque, Britannicas insulas, Germaniam atque Illyricum, tam ex sacris quam gentilibus dispicio auctoribus; unde etiam nomen eorum multis Hispaniæ locis adfixum retulerunt Græci Romanique scriptores: ut Celticorum; qui partem Bæticæ ac Lusitaniæ, partemque Tarraconensis provinciæ adusque promontorium Celticum, quod vulgo nunc est *Cabo finis terræ*, tenuere: item Celtiberorum, ad Iberum flumen incolentium. Germanos cognominat, nescio unde, Plinius Oretanos, Tarraconensis provinciæ populos. Primi exterorum post hominum memoriam ad Celtos in Hispaniam venere Phœnices, à Tyro, mare Internum huc usque & ad Gadeis navigantes; partemque Bæticæ, quæ postea Turditania dicta fuit, occupantes; ut ex Diodoro atque Strabone discimus. Græci postmodum à Massilia colonias deduxerunt inter Pirenæum & Iberum, Rhodam & Emporias: quæ opida etiam nunc vocantur vulgo *Rosas & Empullias*. Interiora etiam Græcos quosdam incoluisse indicat corruptum (ut vult Silius Poëta) nomen Graviorum, quasi Grajorum; Græcorumque castellum

lum Tyde, vulgo nunc *Tuy*, in ea parte Tarraconenſis, quæ hodie eſt Gallæcia. Poſtea Carthaginienſes majorem ejus partem tenuere, ad Internum mare, Amilcare eam occupante. Secundo bello Punico ſuperatis atque expulſis Pœnis tota Romanorum facta eſt. Sub quorum Imperio, tribus provinciis diſtincta manſit, uſque ad Honorii Imperatoris tempeſtatem; quum Gothi ac Vandali, Germanica utraque gens, circa annum Chriſti CCCC, eam invadentes, dictas provincias in tria Regna diſtribuerent. Deinde vero Saraceni cum Mauris, circa annum IↃCCXX invecti, tota Hiſpania direpta, complura in ea Regna inſtituerunt; Chriſtianis, id eſt, Gothorum reliquiis, in Auſtriam ac Legionem, regiones natura locorum munitas, compulſis. Regnorum numerus tandem crevit ad XLV; quorum nomina hæc recenſentur; Legio, Gallæcia, Portugallia, Algarbia, Andaluſia, Granata, Murcia, Valentia, Arragonia, Catalonia, Navarra, Caſtilia Vetus, Caſtilia Nova, quod Toletanum Regnum; & Baleares Inſulæ, vulgo *Majorca* & *Minorca* dictæ; quæ una cum Ebuſo Inſula, vulgo nunc *Yvica*, unum Regnum conficiunt. Ex his poſtea durabili titulo, ad hoc noſtrum ſæculum, clara fuere tria; Caſtilia, Arragonia & Portugallia.

Regnum

Regnum Castiliarum.

Legionis Regnum, vulgo *Leon*, constituere reliquiæ Gothorum, à Mauris, ut dictum, in ea loca compulsæ. At Ferdinandus primus Legioni per matrimonium, juncta Castilia, uno nomine Castiliam adpellavit Regnum suum. Huic postea, devictis ac pulsis Mauris, accesserunt Gallæcia, Andalusia, Granata, Murcia, ac Navarra. Navarræ autem Regnum initium cepit circa annum IↃCCCCLX, quum Enecus, Bigorriæ (pars est Galliæ Aquitanicæ) Comes, transgresso Pyrenæo, Mauris ejectis, Regem se constitueret. Post hunc Henricus IV, Castiliæ Rex, armis occupatum Navarræ Regnum, suo Imperio adjecit.

Regnum Arragoniæ.

Arragoniæ Rex primus factus est Ramirus, Sanctii Magni, Navarræ Regis, filius spurius, anno CIↃ XVI. Huic deinde titulo annexæ sunt Catalonia & Valentia. Iacobus autem Rex anno CIↃ CCLII Insulas Baleares suis armis occupatas, Arragoniæ Regno fideique Christianæ adjecit. Tandem Ferdinandus VI, Caroli V avus maternus, Castellæ & Navarræ Rex, per matrimonium Castellæ junxit Regnum Arragoniæ. Hic tandem Mauros, quos Ferdinandus III in Granatense Regnum compulerat, omnemque una Iudæorum

rum gentem tota Hiſpania anno cIↃ ccccxcii expulit.

Regnum Portugalliæ.

Portugalliæ Regnum cepit initium ad hunc modum : Quum Henricus Lotharingiæ Comes res ingentes contra Mauros in Hiſpania geſſiſſet, præmium virtutis ac laborum Alfonſus VI Caſtellæ Rex, Tireſiam filiam notham ei dedit in matrimonium ; dotemque adpoſuit eam Hiſpaniæ partem, quæ nunc Portugallia dicitur. Hujus filius cum quinque Reges Maurorum uno prœlio fudiſſet. Rex primus Portugalliæ adpellatus eſt circa annum cIↃ cx ; habuitque ſucceſſores continua ſerie, donec ultimo Rege Sebaſtiano in Africa cæſo, Regnum ad Regem Caſtellæ recidit.

Hac igitur ratione cuncta Hiſpaniæ Regna ad unum corpus rediere; caputque unum tota Hiſpania agnoſcit : qui nunc eſt Philippus III, Hiſpaniarum potius, quam Caſtellæ titulo gaudens. At operæ pretium eſt, tanquam in tabula cognoſcere, quo titulo Rex Hiſpaniarum, quamque terrarum ſuarum poſſideat. Triplici igitur titulo tenet quicquid tenet ; Caſtellæ, Arragoniæ, & Portugalliæ. Sub Caſtellæ regno ſunt : Duæ Caſtellæ, Legio, Aſturia, Galæcia, Extremadura, Andaluſia, Granata, Murcia, Biſcaia, Navarra, Medio-

Mediolanum, Belgica, Burgundiæ Comitatus, Insulæ Canariæ, America, Insulæ Philippinæ. Sub regno Arragoniæ; ipsa Arragonia, Catalonia, Valentia, Insulæ Baleares, quæ Majorca & Minorca: Regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia. Sub regno Portugalliæ; ipsa Portugallia, Algarbia, Guinea, Æthiopia, India Orientalis, Brasilia, Insulæ Moluccæ. De cætero, in ipsis Hispaniis Duces numerantur XXIV. At id maxime mireris; reperiri heic quod haud facile alias toto orbe terrarum: scilicet Ducem in Portugallia, nomine Brigantinum, cui tertia pars Regni pareat. Porro Archiepiscopatus in universa Hispania sunt XII: Episcopatus LV.

CAP. VI.

De Vrbibus, Portubus, & Academiis hodie claris.

URbes in Hispania nunc celebres sunt Barcino, vulgo *Barcelona*, Cataloniæ caput; parvum quondam opidum, nunc celebre Emporium; licet portus commoditate destituatur; eoque naves sæpe in statione tempestatibus pereant. Cæsarauguſta vulgo *Caragoça*, Arragoniæ caput, magnificentissima totius Hispaniæ urbs Pompelon, sive Pompeiopolis, vulgo *Pompelona*, caput regni Navarræi. Valentia, caput olim Regni, nunc fru-

fructuum varietate Hiſpanicarum amœniſſima. Murcia, caput Regni. Hortus totius Hiſpaniæ vocatur. Carthago Nova, vulgo *Carthagena*, optimus Hiſpaniæ, ad mare Internum, portus. Granata, caput regni, ſplendida atque ampla urbs. Hiſpalis, vulgo *Sevilia*, Andaluſiæ caput, urbs magnificentiſſima, opulentiſſimum totius Europæ Emporium. *S. Lucas*, navium ſtatio Hiſpalenſium. Corduba, urbs admodum ampla, at minus populoſa. Marcenæ opidi ager lectiſſimos totius Hiſpaniæ fert Aſturcones: Toletum, centrum fere Hiſpaniæ obtinet: omnium maxima ac munitiſſima Madritium. vulgo *Madrid*, & *Madril*, Regia ſede nobile opidum. Quinto ab hinc milliario viſitur in Eſcuriali ſuperbum illud D. Laurentii Monaſterium, Philippi II opus, in memoriam victoriæ adverſus Gallos, ad S. Quintinum in Picardia, anno cIↃ IↃ LVII obtenta exſtructum. Burgi, vulgo *Burgos*, Caſtellæ veteris caput, opidum antiquitate & magnitudine celebre. *Valliadolid*, inter nitidiſſimas Europæ urbeis cenſetur. Compoſtellam Gallæciæ caput alias vulgo *S. Iago*, D. Iacobi Apoſtoli oſſa, ut creditur, ibi ſita, claram effecerunt. Olyſſipo vulgo Hiſpanis *Lisbona*, incolis Portugallis *Lisboa*; Portugallici regni caput, urbs magna, populoſa, negotiationibus celeberrima. *Setubal, cuidad di Puerto, Corunia,*

nia. Ribadeo, Vierus, Bilbao, portus ad Oceanum celebres.

Academiæ illustriores sunt, Salmantica & Complutum in Regno Castellæ, Conimbrica in Portugalliæ Regno.

Cap. VII.

De Insulis ad Hispaniam.

Insularum Hispaniis adjacentium celebriores sunt, Baleares duæ, item Ebusus & Gades.

Baleares contra Tarraconensia littora sitæ, haud longe inter se distant, & à spatio suo cognominibus acceptis, Majores, Minoresque plurali numero, vel etiam singulari Major, Minorque adpellantur: funda olim bellicosæ, unde & nomen traxisse putantur, quasi ἀπὸ τοῦ βάλλειν, id est, à jaculando: Græcis Gymnesiæ dictæ, ἀπὸ τῆς γυμνότητος, id est, à nuditate, quod incolæ aliquandiu nudi vitam egisse dicantur: nunc vulgo *Majorca & Minorca*. Pyratica olim incolæ maxime vivebant: Carthaginiensibus iidem contra Romanos stipendiarii, donec Hispaniis debellatis, à Romanis subigerentur. Mauri postea ex Africa occuparunt, cum Hispanias diriperent, regnumque adjecta Ebuso Insula in iis condiderunt: quos tandem Iacobus Arragoniæ Rex ejecit; ut supra commemoramus.

Ebusus inter Majoricam & Hispaniam sita est; frumentis tantum non fœcunda; ad alia largior; & omnium animalium, quæ nocent, adeo expers, ut nec ea quidem, quæ de agrestibus mitia fiunt, aut generet, aut si invecta sint, sustineat. hodie vulgo *Yvica* dicitur, salis copia maxime celebris. In capite Bæticæ, ubi extremus antiquis mortalibus noti Orbis erat terminus, Insula Gades fretum contingit, quod inde Gaditanum perhibetur, à continenti angusto spatio, ac veluti flumine abscissa: quam Tyrii à Rubro mari profecti, Erythræam, Pœni, lingua sua, Gadir, id est, septem nominarunt. In hac Geryónem, cujus boves Hercules abduxit, habitasse fabulati sunt. Tyrii condidere in ea ejusdem nominis urbem, quæ postmodum evasit opulentissima: nunc etiam Emporium haud ignobile, vulgari vocabulo *Cadiz*, & corrupte *Calis*, dictum.

Cap. VIII.

De Gallia.

HIspaniæ proxima est Gallia. Hæc ab initio inclusa fuit ab Oriente Rheno amne, Alpium parte & Varo flumine; à meridie Mari Interno Pyrenæisque jugis; ab Occidente Oceano Gallico; à Septemtrionibus Oceano Britannico. At postquam Gallorum non-

GALLIAE VETERIS DESCRIPTIO



nonnulli Alpes transgressi Italiæ fere dimidium occuparunt, Galliæ nomen huc usque extensum fuit. Omne autem hoc terrarum spatium bifariam fuit divisum: Primo in Galliam Cisalpinam, quæ & Italica, eademque Citerior; & Transalpinam, quæ Vlterior Gallia hodie proprie dicta. Rursus hoc idem terrarum in tria populorum genera, ab habitu corporis cognominata, distributum fuit. in Togatam, quæ Cisalpina; in Braccatam, quæ & Narbonensis, Romanorum provincia; & Comatam, quæ reliqua est Galliarum pars. Sed de Cisalpina post agemus, quum de Italia erit sermo: nunc de Transalpina, illius matrice, primum dicendum.

Pyrenæis igitur jugis superatis, proxima aperitur terra Gallia, felix præpinguibus glebis, & commoda proventibus fructuariis; consita vitibus & oleis quibusdam in locis; omni ad animantium usum fœtu beatissima; rigua & fluminum & fontium aquis, & noxio genere animalium minime frequens, frumento adeo fertilis, ut melioribus Europæ terris conferri possit. Nomen ab initio proprium & peculiare, quod habuerit, haud facile dispectu est. Tarquinio Prisco Romæ regnante vocabulum tandem Galliæ nacta est, ab incolis Gallis, ut postea ostendetur. Longitudo ejus olim à Pyrenæi montis in Oceanum excursu ad Rheni Vahalisque di-

vergia, apud Munimentum Schenckii, vulgo *Schencken-schans*, porrigebatur. Latitudo à Gobæo promontorio, vulgo nunc *le Four*, in Britanniæ extremo ad Varum usque flumen. In hoc terrarum spatio Gallia sita erat, duobus ut dictum est, distincta nominibus. Braccata interno imminet mari; Comata ad Oceanum ac Germanos spectat.

CAP. IX.

De Gallia Braccata, quæ & Narbonensis Provincia.

NArbonensis Provincia, sive Gallia Narbonensis, adpellatur pars Galliarum, quæ Interno mari alluitur; Braccata antedicta; amne Varo Alpiumque jugis ab Italia discreta; ab Hispania Pyrenæo monte; à reliqua vero Gallia flumine Garumna, Gebenna Monte, ac Rhodano amne. Agrorum quondam cultu virorum morumque dignatione, amplitudine opum nulli Provinciarum Romani Imperii postferenda; sed Italia verius quam provincia. Quin nunc etiam agrorum proventu, civitatum opulentia, ædificiorum nitore, reliqua Gallia lætior est. Continet hodie Linguadocum, Sabaudiam, Delfinatum, ac Provinciam, quæ veteris adpellationis memoriam servat. Populi in ea quondam clari: in Sabaudia; Allobroges, quorum Geneva & Vien-

Vienna ; Centrones , quorum Axima , nunc *Centron* , & Tarantasia , nunc *Monstier & Tarantaise*. In Delfinatu ; Segalauni quorum Valentia ; Vocontii, quorum Dea, nunc *Die* ; Caturiges , quorum Caturigomagus , vulgo *Chorges*. In Provincia, Gavares, quorum Avenio, nunc *Avignon* ; Salyes, quorum Aquæ Sextiæ , nunc *Aix*. In Linguadoco Gabali, nunc *Vellay* ; Ruteni , nunc *Rodes* ; Helvii, nunc *Albigeois*; Volcæ Tectosages, circa Tolosam; Volcæ Arecomici, quorum Nemausus, nunc *Nismes*. Horum populorum clarissimi Allobroges. Vrbium opulentissimæ olim Vasio, nunc *Vaison* ; Vienna, Avenio, Nemausus, Tolosa, Arausio, nunc *Orange* ; Arelate, nunc *Arles* ; Blitteræ , nunc *Beziers* : sed omnes præcedebat, unde nomen ac decus Provinciæ, Martius Narbo , vulgo nunc *Narbonne*. In littore autem portu clara Massilia , vulgo *Marseille*, urbs antiquissima , à Græcis condita. Eædem etiam nunc totius Provinciæ clarissimæ sunt.

Cap. X.

De Gallia Comata ; ac prima ejus parte Aquitania.

Gallia Comata in tres partes divisa fuit ; Aquitaniam, Celticam ac Belgicam : sed his alios alii posuerunt terminos. Cæsar

Belgicam fecit inter Rhenum, Oceanum & Sequanam, Matronamque amnes: Celticam, quam eandem proprie Galliam, & incolas ejus Gallos adpellat ubique Belli Gallici Commentar. primo, inter Matronam Sequanamque, Oceanum & Garumnam flumen, Gebennam montem, Rhodanum ac Rhenum flumina; Aquitaniam inter Garumnam, Oceanum & Pyrenæos montes. Postea vero Augustus aliter distinxit; Belgicam statuens inter Rhenum, Rhodanum, Ararem, Matronam, Sequanamque amneis & Oceanum; Celticam, quam & Lugdunensem adpellavit à capite Lugduno, inter Matronam, Sequanam & Ligerim amneis, & Oceanum; Aquitaniam, inter Ligerim, Gebennam & Pyrenæos Montes, & Oceanum. Aquitania vetus sive Cæsariana, Aremorica ante dicta, nunc Vasconia, vulgo *Gvaſcogne*, vocatur. Vascones quondam ex Hispania ab altero Pyrenæi latere huc transgressos, haud dubium est. Populi heic olim clari; Ausci, nunc regio *Armignac*; Vasates, nunc regio *Albeet*, opidum *Bazas*; Begerri, sive Brigerriones; nunc *Bigorre:* Tarbelli, quorum opidum Aquæ Tarbellæ, nunc *Acqs*. Horum clarissimi fuere Ausci, & caput eorum Elusaberris, nunc *Aux*, totius veteris Aquitaniæ opulentissima.

In reliqua Aquitania augusti populi quondam, qui hodiernis provinciarum nominibus origi-

originem dedere, Cadurci: *Quercy*; quorum opidum Devona, nunc *Cahors:* Petricorii, nunc *Perigort*; quorum Vesonna, nunc *Perigueux*: Arverni, sive Alverni, nunc *Auvergne*; quorum Augusta Nemetum, nunc *S. Flour*: Limovices, nunc *Limosin* quorum Augustoritum, nunc *Limoges:* Bituriges, nunc *Berrii*; quorum Avaricum, nunc *Bourges:* Pictones, nunc *Poictou*; quorum Limonum, nunc *Poictiers:* Santones, nunc *Saintonge*; quorum Mediolanum, nunc *Saintes.*

Cap. XI.

De Gallia Celtica seu Lugdunensi.

In Celtica quondam populi, quorum hodieque ex parte nomina exstant, clari fuere: Osismii, nunc ultimus Britanniæ in mare excursus; quorum opidum Vorganium, vulgo nunc *Guinguand:* Veneti, quorum Vindana, nunc *Vannes*: Nannetes, quorum Condivincum, nunc *Nantes:* Curiosolires, Britannia inferior: Redones, Britannia superior, quorum opidum Condate, nunc *Redon:* Andegavi, qui & Andecavi, & Andes, nunc *Anjou*, quorum opidum Iuliomagus, nunc *Angiers*: Turones, nunc *Tourraine*, quorum Cæsarodunum, nunc *Tours*: Aulerci Diablintæ, quorum opidum Noviodunum, nunc *Maine*: Aulerci Cenomani, quorum opidum Vidu-

num, nunc *Mans*: Vnelli, quorum Crociatonnum, nunc *Quarentain*: Carnutes, quorum Autricum, nunc *Chartres*; & Gennabum, nunc *Orleans*; ipsa regio *la Beausse*: Lexobii, quorum Noviomagus, nunc *Lisieux*, in Normandia: Aulerci Eburovices, quorum Mediolanum, nunc *Evereux*, in Normandia: Parisii, quorum Lutetia, nunc *Paris*: Senones, quorum Agendicum, nunc *Sens*, in Campania: Tricassii, quorum Augustobona, nunc *Troyes*, in Campania: Ædui, sive Hedui, quorum Augustodunum, nunc *Austun*, in Burgundiæ Ducatu: Vadicasses, quorum Noviomagus, nunc *Nuys* in dicto Ducatu: Segusiani, nunc *Forest*, quorum opidum Forum Segusianorum, nunc *Fours*, & item in ipsorum agro Lugdunum, nunc *Lyon*. At horum omnium clarissimi Hedui, urbs eorum totius Celticæ opulentissima, Augustodunum, Lugdunum nomen Provinciæ dedit.

Cap. XII.

De Gallia Belgica; item Fluminibus universæ Galliæ Transalpinæ.

Belgica illa Vetus, quæ tertia pars Galliæ Comatæ, vetustissimis scriptoribus, clauditur Rheno Rhodanoque amnibus, lacu Lemano, Matrona ac Sequana fluminibus, Oceanoque Britannico. At Plinius atque Tacitus



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0102

tus ab Helvetiis ad Oceanum, omnem interiorem ripam Rheni à Germaniæ populis incolæ tradunt. Hodie sane idem fit : at aliquanto latius quam olim. Itaque Plinius initium Belgicæ, à Scaldi flumine facit. Inter Mosam & Flandriam ad Oceanum fuere Taxandri ; nunc est Zelandia ac Brabantiæ inferior pars. Inde Menapii reliqua Brabantiæ pars, & item Geldriæ ad Rhenum usque: quorum opidum Castellum Menapiorum, in Mosæ ripa, nunc *Kessel.* Morini, pars Flandriæ inter Oceanum & Legiam amnem ; opidum Teruanna, nunc *Teruuane* ; & portus Gessoriacus, qui antea Itius, & postmodum Bononia, nunc *Boulogne*: Ambiani, quorum opidum Somanobriga, nunc *Amiens:* Bellovaci, quorum regio Belgium, nunc *Beauvoisin*; & opidum Cæsaromagus, nunc *Beauvais*: Caletes, *Pais des Cauls* ; opidum Iuliobona, nunc *Diepe* : Vellocassii, quorum Rotomagus, nunc *Roan:* Atrebates; opidum Nemetacum, nunc *Arras:* Nervii; opidum Bagacum, nunc *Bavay:* & item Cameracum, nunc *Cambray.* Eburones, Condrusi, Segni, Cæræsii, Pœmani ; qui primi uno nomine adpellati fuere à Gallis Germani, postea vero à se ipsis Tungri ; quorum opidum Atuatuca, nunc *Tongeren:* Veromandui; quorum Augusta Veromanduorum nunc *Vermandois*, vicus in extima Picardia. Suessiones, quorum Augusta Suessio-

num, nunc *Soiſſons*: Silvanectæ; quorum Auguſtomagus, nunc *Senlis*: Remi; quorum Durocortorum, nunc *Reims*, in Campania. Treviri, quorum Auguſta Trevirorum, nunc *Trier* Germanis, *Treves* Gallis. Mediomatrices; quorum Divodurum, nunc *Metz*: Leuci; quorum opida Tullium & Naſium, nunc *Toul* & *Nanſy*, in Lotharingia. Lingones; quorum Andomatunum, nunc *Langres*. Sequani; quorum Veſontio, nunc *Beſançon*, in Burgundiæ Comitatu. Rauraci, nunc ager Baſileenſis; eorum opidum Auguſta Rauracorum, nunc vicus *Augſt*. Hinc Helvetii, in quatuor Pagos diſtincti. Pagorum nomina, Tigurinus, Tugenus, Ambronicus & Vrbigenus. Tigurinus nomen habuit ab opido antiquiſſimo Tiguro, ſive, quod rectius ſcribitur, Turigo, nunc *Zürich*: Tugenus, ab opido Tugio, nunc *Zug*: Ambrones nomen habuere à flumine, quod accoluere, Amma, nunc *Emme*: Vrbigeni dicti ſunt ab opido Vrba, nunc *Orbe*.

Caput Helvetiorum fuit Aventicum, nunc *Avances* Gallis, Germanis *VViflisburg*. Rhenum autem accolentes Germaniæ nationum in eadem provincia; Trebocci in Elſatia: quorum Argentoratum, nunc *Strasbourg*: Nemetes, quorum Noviomagus, nunc *Speir*: Vangiones; quorum Moguntiacum, nunc *Mentz*: Vbii, quorum Colonia Aggrippinenſis,

nensis, nunc *Collen*: Iugerni in partibus Gelriæ & Cliviæ; ubi opida *Goch* & *Gelre*: quondam, quum trans Rhenum incolerent, Sicambri dicti. Hinc Batavi, Rheni Insulam incolentes. Occupat hæc partem Gelriæ, partem Trajectensis Provinciæ, partemque Hollandiæ. Incipit haud procul Clivis opido, apud munimentum Schenckii, vulgo *Schenckenschans*: ubi Rhenus in duo veluti cornua scinditur. Sinistrum, Vahalis flumen adpellatur: Mosæ amni apud Vorcomum opidum confusum, uno ejus alveo ad Oceanum defertur, ubi Mosæ ostium dicitur. Dextrum cornu primo latum ad usque Batavodurum, quod vulgo est *Wijck te Duerstede*, inde modicum nominis sui custodiens alveum, Trajectumque & Lugdunum transiens opida, propter vicum *Catvvijck* in Oceanum olim effundebatur; nunc Ostium hoc arenis obstructum est. Quicquid igitur duobus hisce alveis Oceanoque includitur, Insula Batavorum fuit: cujus nomen hodieque in superiore ejus parte servatur, vulgo *de Betavv* dictum. Præterea extra Insulam tenuere Batavi, quicquid Vahali ac Mosæ includitur. Partem Insulæ circa Trajectum & Wordam incoluere Caninefates. De cætero Gallorum omnium fortissimi erant Belgæ. horum bellicosissimi Helvetii; clarissimi Treviri. urbium Belgicarum opulentissima Augusta Trevirorum.

Fluvii Galliæ.

Nobiliores Galliæ fluvii sunt; Oceanum petentes, Mosa, vulgo *die Mase* Germanis, Gallis *la Meuse*; Scaldis *l'Escaut* Gallis, Germanis *die Schelde*; Sequana, *la Seine*, Matronam devehens, vulgo *le Marne*, & Ligeris, *la Loire*; Garumna, *la Garonne*. Rhodanus, *der Roden* Germanis, Gallis *le Rosne*, velocissimus amnis, inter tres maximos Europæ fluvios computatus, tardissimum Ararem, vulgo *le Saone*, in Mare internum secum trahit.

CAP. XIII.

De Incolis Galliæ, ac posteriori ejus divisione.

UNam gentem, Celtarum nomine, omnem quondam incoluisse Hispaniam, ac Galliam Germaniamque, Illyricum, & Britannicas Insulas, supra ad Hispaniam dictum est; latiusque infra in Germaniæ descriptione dicetur. Cæterum Gallorum natio adeo populosa fuit, uti, quum domi haud sterile solum tenerent, ob multitudinem tamen hominum, necessum habuerint, in diversas ac longinquas mundi regiones colonias deducere. Nonnulli eorum Italiæ dimidiam fere partem occuparunt. ex his quidam ultra profecti, in Asiam usque pervenerunt; nomenque ibi Gala-

Galatiæ, sive Gallogræciæ, seu Græcogalliæ fecerunt. Alii in Britanniam Insulam pervenisse putantur. In Germaniam autem alii invecti, ingentem tractum à Rheno ad Vistulæ usque fonteis obsederunt. In ipsa Gallia vixit universa gens, quot nominibus, tot civitatibus, imperiis ac magistratibus discreta. Primi Romanorum arma sensere Salyes; cum de incursionibus eorum Massilia, socia Romanorum civitas, quereretur. Deinde Allobroges & Arverni; quum adversus eos similes Heduorum querelæ opem & auxilium flagitarent. Prima igitur Narbonensis Gallia subjugata, in Provinciæ formam redacta est; Domitio Ænobarbo & Fabio Max. trophæa in ea statuentibus. Reliquæ Galliæ per x annos domitæ laus ad Iulium Cæsarem defertur. Paruit hinc tota sub præfectis Romano imperio ad Honorii Imperatoris usque tempestatem; quum circa annum Christi cccc, Gothorum, Hispaniam atque Italiam vastantium, pars Narbonensem Provinciam invasit, nomenq; Regioni de suo imposuit, quod postmodo corrupte Længuedoc, quasi *langue de Goth*, dictum est. Prolatis deinde ad Ligerim usque amnem Imperii finibus regnum constituerunt, cujus caput ac regia Tolosa fuit. Eadem tempestate Burgundiones, ab ultima Germania (pars Cassubiorum, parsque Brandeburgensium nunc ea loca tenent) cum Vandalis Sueviseque

profecti, alias Galliæ partes occuparunt, regnoque constituto, Burgundiæ nomen de suo imposuerunt, cujus caput regiaque sedes Arelate. Complectebatur utramque Burgundiam, Lugdunensem agrum, Delfinatum, Sabaudiam, & Provinciam. Sub idem ferme tempus, Franci Germanica gens, Rheno trajecto, proximam Galliæ partem, Tungriam (nunc est Brabantia, ac Leodiensis Episcopatus) obsederunt. at pulsi mox à Gothis, paulo post redierunt, ultraque in Parisios usque progressi, regioni ac regno inibi condito, Franciæ vocabulum de suo imposuerunt, cujus caput ac regia Lutetia. Circa eadem tempora Britanni ex Britannia Insula, ab Anglis & Saxonibus, quos in opem & auxilium adversus Scotos Pictosque ex Germania vocaverant, pulsi, extrema Galliæ Celticæ obsederunt, & de suo nomine Britanniam minorem adpellarunt. At Clodovæus, V Franciæ Rex, Burgundiæ Rege Gundebaldo armis devicto, Gothisque ex Gallia ejectis, utrumq; regnum suo imperio adjecit. Hic vita excedens, regnum Franciæ IV filiis in quatuor parteis seu regna distributum reliquit. Primus erat Parisiorum rex: cui parebant Parisii, nunc vulgo *Isle de France*, id est, insula Franciæ, Campania Cenomani, Turones, Andegavi, Aquitani, Arverni. Secundus Suessionum Rex; cujus regno submissi Veromandui, Neustrii,

nunc

nunc Normanni; Picardi, Flandri. Tertius Burgundiæ, sive Aureliani Rex: cui cessit totum Burgundiæ regnum, ante dictum, cum Aurelianensi Ducatu. Quartus Rex Metensis, seu Austrasiæ; quæ complectebatur quicquid inter Mosam ac Rhenum. Mortuis autem fratribus, Clotarius solus rerum potitus est. Hujus itidem quatuor filiis regnum iterum in quatuor dictas parteis divisum est. At defunctis, ut ante, fratribus, Clotarius II totum regnum Franciæ solus obtinuit. Id integrum intactumque successoribus ejus mansit, ad Caroli Magni usque tempestatem, quum Austrasia divelleretur. mox Flandria etiam sui juris facta est. Imperator dein Henricus III. Burgundiæ regnum Germanorum imperio adjunxit. Sed id postea in quatuor partes direptum est. Beroaldus Saxoniæ Dux, Sabaudiam invasit. Otho, Flandriæ Comes, partem occupavit, quam *Franche Conté*, id est, liberum Comitatum Burgundiæ nuncupavit. Guigius Comes eam, quam à filii soceri nomine Delfinatum adpellavit. Boso postremus in Provincia regnum tenuit, quod Arelatense dictum fuit. At posteriores Franciæ Reges Provinciam ac Burgundiæ Ducatum recuperarunt. Delfinatum Hubertus ultimus ejus Princeps Regi Galliarum vendidit, ea lege pacta, uti in posterum primogenitus cujusque Regis filius nomen Delphini

inde

inde gestaret. Sabaudia successoribus Beroaldi etiam nunc manet. Burgundiæ Comitatus eodem titulo ac jure ad Hispaniarum Regem pervenit, quo ipsa Flandria. Avenionensem Comitatum Ioanna Provinciæ Comes Papæ Clementi VI concessit. manetque etiam nunc sub Romanæ Ecclesiæ ditione.

CAP. XIV.

De recentiori Galliæ, ejusque in varias Provincias divisione.

HAc igitur ratione Gallia arctior, quam olim fuit, facta est; tota propemodum Belgica avulsa. Itaque à Meridie, Occasu ac Septemtrione servatis antiquis terminis, ab Ortu clauditur Sabaudia, Burgundiæ Comitatu, Lotharingia, ac Inferiore Germania, quam vulgo nunc Belgicam & Belgium vocant. Longitudo ejus ab extima Britannia, ad usque Varum flumen, Italiæ terminum, porrigitur milliarium Germanicorum CLXXX. Latitudo à Pyrenæis jugis in Bearnia ad extremam usque Picardiam milliarium CXL. Francia autem dicitur vulgo à Francis, Germanica gente, in eam transgressis. Tota paret uni Regi, in parteis varie divisa. Præcipuæ tamen regiones sunt, quarum vulgaria vocabula ista sunt: *Bretaigne, Normandie, Picardie, Champagne, la France, Beausse, Berry, Blaisois,*

ſois, le Maine, Touraine, Anjou, Poictou, Saintonge, Perigort, Limoſin, Bourbonnois, Bourgogne Duché, Quercy, Guaſcogne, Languedoc, Provence, Dauphiné. Acceſſit haud ita pridem *la Breſſe*, pars Sabaudiæ: *Mets* etiam atque *Toul* Lotharingiæ opida Regis Francorum nuper facta ſunt. Cæterum Ducatus in Gallia ſunt XIX: *Orleans, Bourgogne, Narbonne, Bretagne, Anjou, Berry, Normandie, Anvergne, Gujenne, Tours, Barleduc, Valois, Nemours, Alençon, Reims, Laon, Langres, Bourbon, le Maine.* Pares Franciæ quondam Carolus Magnus, XII inſtituit: quorum ſex Eccleſiaſtici, ſex ſeculares. Eccleſiaſticorum III ſunt Duces; Archiepiſcopus Remenſis, vulgo *Reims*; Epiſcopus Laudunenſis, vulgo *Laon*; Epiſcopus Lingonenſis, vulgo *Langres*. Tres Comites, iidemque Epiſcopi; Catalaunenſis, vulgo *Chalons*; Noviodunenſis, vulgo *Noyon*; Bellovacenſis, vulgo *Beauvais*. Secularium itidem tres Duces: Burgundicus, Normannicus, Aquitanicus, *Guienne* vulgo. Tres Comites; Flander, Toloſanus, Campanus. At hodie duo ex his XII aboliti ſunt, Burgundicus ac Flander. Conventus Iuridici (Parlamenta Franci vocant) ſunt octo; Pariſienſis, Rotomagenſis, vulgo *Roüan*, in Normandia; Redonenſis vulgo *Renes*, in Britannia; Divionenſis in Burgundia, vulgo *Dijon*; Burdegalenſis, in Vaſconia, vulgo *Bordeaux*; Toloſanus

in

in Linguadoco, vulgo *Tolouſe*; Grationopolitanus, in Delfinatu, vulgo *Grenoble*, Aquenſis in Provincia, vulgo *Aix*. His acceſſerunt nuper duo alii conventus; *Pau* in Bearnia, & *Mets* in Lotharingia. Archiepiſcopatus ſunt per univerſam Franciam XV, quibus ſubjecti Epiſcopatus CIII.

CAP. XV.

De urbibus Galliæ celebribus, Academiiſque illuſtribus.

URbes Galliæ celeberrimæ ſunt, in Pariſiis, ſive Inſula Franciæ, Lutetia Pariſiorum, vulgo *Paris*; caput ac regia regni; urbs totius Europæ, unam ſi Conſtantinopolin excipias, magnitudine atque incolentium frequentia, clariſſima, dignitate ſua maxime æſtimanda. In Picardis Ambianum, vulgo *Amiens*, templi interno ſplendore, ac ornamentis inſignis. In Normannis Rotomagus *Roüan*; opulentiſſimum Galliæ ad Oceanum Britannicum Emporium: Cadomum, *Caen*; Diepa, navium adpulſu celeberrimum opidum. In Britannis *Renes*; & *Nantes*, ſatis clarum Emporium. In Andegavis Andegavum, ſive Iuliomagus, vulgo *Angiers*. In Turonibus Turonum, vulgo *Tours*. In Bleſenſi provincia, Bleſenſe caſtrum, vulgo *Blois*; cujus ager ob multiplicem amœnitatem hortus

tus Galliæ nuncupatur. In Beaussé *Chartres*, & item Aurelianum, vulgo *Orleans*. In Biturigibus *Bourges*, antiquitatum reliquiis ac Xenodochio clara. In Campania Remi, vulgo *Reims*, templi artificiosa extrinsecus structura nobilis : Catolauni, vulgo *Chalons*. Tricassium, vulgo *Troyes*, urbs ampla ac populosa. In Burgundia Divionum, vulgo *Dyon*, Ducum quondam sedes : Cabilonum, vulgo *Chalon*, emporium haud spernendum : Matiscona, vulgo *Mascon*, satis nitida : Belna, vulgo *Beaune*, Xenodochii magnificentia famosa : Augustodunum, *Autun*, antiquitatibus Romanis adeo referta, uti Roma Gallica quibusdam vocitata fuerit. In Borbonensi provincia, *Molins*. In Lemovicibus, Lemovicum, vulgo *Limoges*; emporium opulentum. In Pictonibus Pictavium, vulgo *Poictiers*, magnitudine secundas quidem à Lutetia fert, at multo minus populosa. In Santonibus *Saintes*; antiquitatibus Romanis maxime ornata : Rupellæ, vulgo *la Rochelle*, celeberrimum ad Oceanum Aquitanicum emporium, urbs munitissima, propugnaculum proximis bellis civilibus Protestantium tutissimum. In Vasconibus Burdegala, vulgo *Bordeaux*, urbs ampla, antiquitatum Romanarum reliquiis conspicua; opulentissimum emporium, Garumna flumine navium adpulsum commodante. In Linguadocia est Tolosa,

losa, *Tolouse*, inhabitantium multitudine insignis : Martius Narbo, vulgo *Narbonne*, magnifica quondam urbs, nunc munimine maxime clara. Mons Pessulanus, urbs magna ac splendida ; vulgo *Montpellier*. Nemausus, vulgo *Nismes*, antiquitatum Romanarum reliquiis omnium Gallicarum refertissima. In Provincia Massilia, *Marseille*; portus commoditate juxta ac pulcritudine clara ; opulentissimumque Galliæ ad internum mare emporium. Triremium regiarum statio. cæterum libera est civitas, una cum Arelate : utraque in Galliæ Regis clientela. Aquæ etiam Sextiæ, vulgo *Aix*, nitida urbs : item Avenio, *Avignon*, Romanæ Ecclesiæ parens.

Academiæ.

Academiæ Galliæ illustres sunt ; Lutetiæ Parisiorum, Cadomi, Andegavis, Aureliani, Biturigibus, Pictavii, Burdegalæ, Tolosæ, Montispessulani.

CAP. XVI.

De Sabaudia ac Burgundiæ Comitatu.

PEractis hactenus regionibus, quæ Regi Franciæ hodie parent, reliqua Galliæ pars, quæ veterem Belgicam ferme totam occupat, cum Narbonensis provinciæ parte, explicanda est. Tota igitur illa pars, quæ veteri




HELVETIÆ
Conter-
minarumque terrarū, antiqua
descriptio.
VINDELICIÆ PARS.
ALEMANNIÆ
PARS.
RAURACI.
SEQUANI.
TIGURI-
NI.
TUGENI.
HELVETII.
AMBRONES.
TULIN-
GI.
RHÆTIÆ PARS.
URBIGENI.
NANTUATES.
ALLOBRO-
GES
SEDU-
NI.
VALLIS PENNINA.
LEPONTII
ITALIÆ
PARS.
VERA-
GRI.
CENTRONES.
SALASSI
Genava
Lacus Lemanus qui et Lausanensis
Bibiscus
Pennilucus
Tarnadæ
Sedunum
Octodurum
Darantasia
Insummo Pennino
Augusta Prætoria
Oscella
Alpes Pennine
Alpes Rhæticæ
Rhenus amnis
Fons Danubii
Brigobanna
Sanctio
Confluentes
Augusta Rauracorum Colonia Romana
Porta Saxea
Salodurum
Soloturn
Arola fl.
Petenisca
Abiolica
Chiro
dunum
Urba
Bern
Friburg
Aventicum Colonia Rom.
Minodunum
Hiromagus
Bromagus
Lausanna
Lucerna
Switz
Stantz
Glarus
Uren
Altorf
Curia
Tinnetio
Vindonissa
Vitodurum
Fines
Brigantium
Arbor felix
Vesontio
Vienna
Castra Rom.
Aquæ Helvetiæ
Tigurum quod et Turicum
Tugium Zug
Vipera fl.
Latobriga
Latobrigi
Helvetii
Helvetia
Vogesus mons
Epomandurum
Jura mons
Dubis fluv.
Urba amnis
Arialbinum quæ Postea Basilia
Rhenus amnis
Mosella fl.
Gallia
Germania
Lacus Venetus qui et Brigantinus
Vindelicia
Vuiaca
Cambodunum
Vemannia
Ilargus fl.
Ligurus fl.
Ænus amnis
Alpes Rhæticæ
Alpes Pennine
Lacus Lemanus qui et Lausanensis
Equestris Colonia quod postea Noviodunum
Wal-
liser.



teri Galliæ avulsa est, in quinque ditiones dispertita est. Primam obtinet Dux, cui cognomentum Sabaudici dedit ipsa regio Sabaudia. in qua nihil clarum, præter unam Genevam, liberam civitatem, bellis Sabaudicis, & Protestantium religionis professione celebrem. Conventus Iuridicus est Cameriaci, vulgo *Chamberii*, Fanum Divi Ioannis in valle Mauriana, vulgo *S. Iean de Morienne*, egregio munimento celebratur. Secunda ditio est Hispaniarum Regis in Comitatu Burgundiæ, ubi Vesontio, vulgo *Besançon*, urbs eximia, liberaque civitas, in fide prædicti Regis. Tum Dola, *Dole*, conventu Iuridico & Academia clara. Tertia ditio est imperii Germanorum: sub qua Alsatia, Lotharingia, Treverensis ac Leodiacensis Episcopatus, Iuliacensis Ducatus, & item Clivensis Ducatus portio; de quibus in Germania agetur. Quarta ditio est Helvetiorum ac Vallesiorum. Quinta inferioris Germaniæ, sive, ut vulgo vocant, Belgarum. De duobus postremis nunc agendum est: ac primum de Helvetiis.

Cap. XVII.

De Helvetiis ac Vallesiis.

Helvetii loci natura undique tuti continentur: una ex parte flumine Rheno à Germania dividuntur: altera ex parte monte Iura

Iura altissimo à Gallia separantur; tertia parte lacu Lemano ac flumine Rhodano à Sabaudia disterminantur. In quatuor pagos, Tigurinum, Tugenum, Ambronicum & Vrbigenum, olim fuisse divisos, supra in descriptione Veteris Galliæ dictum est. Gens quum foret totius Celticæ bellicosissima, reliquos Gallos virtute præcedebant, quod fere quotidianis prœliis cum finitimis Germanis contenderent. Qua fiducia freti totius Galliæ imperium adfectarunt. Rem ipsam tentantes C. Iulius Cæsar armis in sedes suas redegit, & una cum reliqua Gallia Romano Imperio subjecit. cui paruerunt usque ad Honorii Imperatoris tempora; quum diversis populis, diversas imperii partes diripientibus, Alemanni (inter Rhenum, Mœnum atque Danubium tenuere loca) Helvetiam, in quam jam ante crebras incursiones fecerant, occuparent; Galliæque avulsam, Germaniæ, corpori suo adjicerent. Inde gens ea *Svitzeri*, à vico, forte quondam capite, *Svvitz* dicta, sub Germanico Imperio tenuere, Ducibus suis subjecti; donec Leopoldo Duce in prœlio cæso, in libertatem sese, circa annum cIↃ cccc vindicarunt. Fœdere post libertatem adeptam inter se sancito, nunc libere agunt, XIII pagis seu civitatibus (incolæ *die Oerter*, Galli *Cantons*, vocant) divisi, Civitates sunt hæ; *Zurich, Bern, Lucern, Vri, Svvitz, Vnder-*

vval-

vvalden, Zug, Glaritz, Basel, Friburg, Soloturn, Schafhausen, Appenzell. Ex his, Appenzell, Glaritz & Svvitz, sunt vici: Vndervvalden & Vri regionum nomina; quarum capita duo vici: Hujus Alttorf, illius Stantz. Reliqui octo Cantones sunt urbes; quarum potentissima est Berna; quidpe cujus ditio à Geneva ad Basileam fere protenditur, milliaria Germanica ultra xxx. Sequuntur Tigurum, Basilea, Lucerna, Friburgum, Solodurum, opulentæ civitates. Ex universis Cantonibus Protestantium religionis sunt, *Bern, Zürich, Basel, Schafhausen*; Catholicæ Roman. *Lucern, Friburg, Soloturn, Zug, Vri, Vndervvalden, Svvitz*, utramque religionem profitentur *Glaritz* & *Appenzel*. Conventus totius Helvetiæ fit Aquis Helvetiis, vulgo *Reichsbaden*, Academia est Basileæ celeberrima. Præterea Gymnasia, Academias æmulantia, Tiguri, Bernæ, atque Lausannæ in Bernensium agro. Est præterea in Helvetiorum agro confœderatum opidum, S. Galli Fanum, linificio maxime nobile.

Vallesii.

Helvetiorum reip. confœderata est resp. Vallesiorum, vulgo *die Walliser*, Galliæ etjam hi olim populi Inalpini, Penninarum Alpium à Rhodani fontibus ad lacum Lemanum, vulgo *Genfersee*, vallem, unde etiam

nunc

nunc nomen habet, incolentes. In quatuor populos tota vallis divisa fuit. Viberi ad Rhodani fontes incoluere, circa vicum *Gomers*. Seduni circa opidum nunc Episcopale Sedunum, vulgo Germanis *Sitten*; Gallis *Sion*. Veragri quorum vicus Octodurus, nunc *Martinach*. Nantuates, circa Sancti Mauritii fanum. Primus omnes hos subjugavit Ser. Galba, Iul. Cæsaris in Gallia Legatus. Nunc Germani incolunt, sub una liberaque republ.

CAP. XVIII.

De Hodierna Belgica, sive de Inferiore nunc Germania.

BElgicam hodie adpellant eas terras, quæ confusis Galliæ Germaniæque antiquis limitibus, XVII provincias continent, eandem Inferiorem Germaniam, & vernaculo vocabulo dicunt *Niederlandt*, Itali, Hispani ac Galli *Flandriam*; ab una earum, quondam clarissima provincia. Regio est agrorum cultu, urbium vicorumque multitudine, ac nitore totius Europæ amœnissima, variisque negotiationibus navigationibusque longinquis ditissima. Terminos habet, à Septemtrionibus Oceanum Germanicum; ab ortu Frisiam Orientalem, Westfaliam, Colonienſem agrum, Iuliacenſem Ducatum, Trevirenſem Episcopatum; à Meridie & Occasu Galliæ Regnum.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0124

Regnum. In ea parte, quæ cis Rhenum in Gallico solo est, populi qui fuerint, jam ante ostensum est. In altera parte, quæ trans Rhenum in Germania sita est, fuere quondam; Frisii, à Rheni ostio ad ostium usque Amisiæ amnis, vulgo *die Ems*, in Septemtrionali Hollandia, Frisia Occidentali, Groningensi agro, & parte Trajectensis provinciæ: Bructeri in Transisalana provincia: Marsaci, circa *Amersfort*, inter Rhenum & Isalam amneis. Hos omneis L. Drusius imperitante Augusto Cæsare subegit, Illos, qui in Gallia, Iul. Cæsar perdomuit. Manserunt inde sub Imperio Romano, maxime qui cis Rhenum, donec id Theodosio imperante, ab advenis gentibus direptum. tunc enim varii Germaniæ populi, alii subinde atque alii huc immigrarunt; quorum cum quidam postea in Galliam, nonnulli vero in Britanniam insulam commigrarent, incolæ in priscam, creatis sibi Regulis, libertatem sese vindicarunt. Inde temporis progressu in XVII provincias tota hæc regio divisa fuit, quarum, aliæ Ducum nomine, aliæ Comitum, aliæ etiam Dominorum titulo, rectores acceperunt. Sunt autem hæ: IV Ducatus; Brabantia, Limburgium, Luceburgium, Geldria. Comitatus VII; Flandria, Artesia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Namurcum, Sutfania. Marchionatus unus Sacri Imperii, Antverpia. Dominia V; Frisia Occi-

dentalis, Mechlinia, Trajectus, Transisalania, Groningium. Frisia, postquam jugum Romani imperii excusserat, annos ferme cccc sub regibus suis fuit; donec exstinctis his, dominium ad Carolum Magnum pervenit. post eum, regulis suis, ut cæteræ, regi cœpit. At procedente tempore, alia alii provincia per matrimonium rectorum juncta est: donec tandem ad unum dominum pervenerunt. Is primus fuit Carolus, Burgundiæ Dux, cognomento Audax; abavus Caroli V Imperatoris; qui postmodum heres factus, Philippo filio Hispaniæ Regi reliquit. cui successit filius ejusdem nominis.

At quum incolæ jam inde à Carolo V. vim atque injuriam sibi fieri, privilegiaque quibus satis libertati suæ provisum erat, eripi sentirent; vim vi repellere, armisque libertatem avitam defendere decreverunt. Inde diutinum illud annorum XL bellum. Pars Hispanorum armis succubuerunt; pars in pristinam libertatem sese vindicarunt. Hinc in duas parteis Belgica, seu inferior Germania divisa est. Provinciæ Hispano Imperio audientes sunt istæ: Brabantia, Limburgium, Luceburgium, ac dimidia pars Gelriæ, cis Rhenum ac Vahalem, in veteri Belgica sita; dein Flandria, Artesia, Hannonia, Namurcum, Marchionatus S. Imperii & Mechlinia. Reliquæ provinciæ sub una republi-

publica constanter ac fortiter libertatem tuentur.

CAP. XIX.

De præcipuis Inferioris Germaniæ urbibus.

Flandria, vulgo *Flandren.*

FLandria omnes Christiani Orbis Comitatus superat: ager fertilis, pascuaque læta. Insulas habet adjacenteis *Cadsant*, *Oostburgh*, *Bierfliet*; Ordinibus fœderatis parentes. Vrbes præcipuæ Flandriæ sunt; Gandavum vulgo *Gent*; caput Provinciæ, inter majores Europæ urbes computata; Caroli V. incunabulis nobilitata. Brugæ, vulgo *Brugge*, primas ob pulchritudinem & amœnitatem sibi vendicant. Sequuntur Tornacum, Gallis *Tournay*, German. *Doornyck*; Cortracum, Gall. *Courtray*, German. *Cortrijck*; Duacum, *Douay*; Insulæ, Gall. *L'Isle*, German. *Ryssel*, sive *ter Issel*; Yperæ, *Yperen*; Neoportus, *Nieupoort*; *Sluys*, *Duynkercke*, piratica superiori bello infamis. Ostenda, trienni Hispanorum obsidione insignita. Grevelinga, nobilissimum in finibus Galliæ munimentum.

Artesia; Artois.

Caput Artesiæ est Atrebatium, vulgo Ger-

manis *Atrecht*, Gallis *Arras*; urbs splendida. clarum hic est Fanum D. Audomari, vulgo S. *Omer*. Tervanna, insignis quondam erat: postea vero à Carolo V. expugnata ac funditus eversa. Est præterea heic nobilis Comitatus cognomine *D. Pauli*.

Hannonia; Gallis *Hainaut*, Germ. *Henegouvv*.

Hannoniæ caput est Montes, vulgo *Mons*, Gallis; Germ. *Bergen*. Secunda ab ea Valentianæ, Gall. *Valenchienes*. Cameracum, German. *Camerick*, Gall. *Cambray*, cum agro suo singularem provinciam conficere videtur, quæ dicitur *Cambresis*.

Namurcum; Gall. *Namur*; Germ. *Namen*.

Caput est, quæ provinciæ nomen dedit, Namurcum, ædificiis magis valida quam splendida.

Luceburgium; Lucelburg.

Hic Ducatus nihil insigne habet, præter Luceburgium, unde nomen Provinciæ; & ipsa urbs tam fœda, quam satis natura loci munita.

Limburgium.

Hujus caput est Limburgium urbs, minus inter reliquas XVII provincias clara. Falcobur-

burgium ac *Dalem*, duo Comitatus, portiones sunt Limburgiensis Ducatus.

Brabantia, *Brabandt.*

Primaria Brabantiæ urbs est Antverpia, Gallis *Anvers*, Germanis inferioribus *Antwerpen*, superioribus *Antorf*. Emporium quondam totius Europæ celeberrimum, nunc etiam urbs totius terrarum Orbis splendidissima: arce sua maxime nobilis. Bruxellæ, *Brussel*, magnifica urbs, rectorum Belgii Hispanici sedes. Silva Ducis, *des Hertogenbosch*; ac Lovanium, vulgo *Leuven*, insignes urbes: Præterea *Breda*, *Sevenbergen*, *Bergen op Zoom*, *Lier*, *Herentals*, *Dieſt*, *Tienen*, & *Gemblours*, haud ignobilia sunt opida. Mechlinia, *Mechlen* Germanis, *Malines* Gallis, quæ unam provinciam in XVII conficit, inter nitidissimas Belgicæ merito numeratur. De cætero, & in Brabantia Ducatus *Arschot*: Marchionatus *Bergen op Zoom*; Comitatus *Hoochstraten* & *Megen*; Baronatus *Breda*, *Dieſt*, *Grimbergen*.

Zelandia.

Zelandia in insulas complures dissecta est; quarum nobiliores, Walachria, vulgo *Walcheren*; Scaldia, vulgo *het Landt van Schouwen*; & Bevelandia Australina, vulgo *Zuyt-Beverlandt*. In Walachria urbs prin-

ceps est Middelburgium, celebre Emporium. Secunda est *Vlissingen*, proximus in Zelandia ex Gallia ac Britannia advenientium navium adpulsus. Vera, vulgo *ter Veer*, Scoticarum mercium Emporium. In Scaldia insula est *Sirickzee*, opidum satis nitidum. In Bevelandia Gusa, vulgo *ter Goes*.

Hollandia.

Hollandia ob frequentia in varias Mundi parteis commercia totius Belgicæ celeberrima potentissimaque, dividitur in Septemtrionalem & Australem. Septemtrionalis Hollandiæ pars meridionalis, crebris lacubus interfusa, *Waterlandt* incolis vocatur. Princeps dignitate est totius Hollandiæ urbs Dordracum, vulgo *Dordrecht* & *Dort*, in ipsis lacuum, quos Mosa Vahalesque efficiunt, undis sita; vini Rhenani frequenti mercatu nobilissimum Emporium. At maxima potentissimaque omnium est Amsterodamum, vulgo *Amsterdam*, opulentissimum ad Oceanum Germanicum Emporium: Lugdunum Batavorum, vulgo *Leyden*; omnium Belgicarum, nedum Hollandicarum, amœnitate salubritateque splendidissima. Delphi, vulgo *Delft*, Gulielmi Principis Auriaci, Illustrissimi Principis Mauritii parentis cæde insignita civitas: Roterodamum, *Rotterdam*, natalibus Erasmi Roterodami clara, secundum ab Amstelodamo

damo Emporium. Haga-Comitis, vulgo *des Graven Hage*, nobiliſſimus totius Europæ vicus; multiſq; urbibus præferendus. Comitum quondam Hollandiæ, nunc Conſilii Confœderatarum Provinciarum univerſalis ſedes: huc quidpe, quoties de communibus negotiis decernendum eſt, univerſæ provinciæ conveniunt. Sunt præterea nobiles urbes, *Haerlem*, *Goude*, *Geertrudenberge*, *Alckmaer*, *Edam*, *Hoorn*, *Enckhuyſen*. In inſulis Auſtralibus eſt *Briel*, haud poſtremum provinciæ opidum, & itidem *Geerfliet*. Septemtrionali Hollandiæ adjacent Inſulæ duæ, *Texel* & *Flielandt*, navium ſtationibus celebres. De cætero eſt in Hollandia Comitatus *Egmont*, Baronatus Brederodiorum *Vianen*.

Trajectenſis Provincia.

Trajectenſis ſive Vltrajectenſis provincia, nomen accepit à capite ſuo Trajecto, ſive Vltrajecto, vulgo *Vtrecht* vel *Vtert*. Vrbs eſt ampla atque magnifica, Epiſcoporum quondam Friſiorum ſedes. Eſt & *Amersfort*, haud ſpernendum opidum.

Gelria *ſive* Geldria, *Gelderlandt*. Zutphania, *Zutphen*.

Gelriæ Ducatus in duas hodie ſecatur parteis: quarum altera Hiſpanici, altera Confœderati juris eſt. Hiſpanicæ Gelriæ caput eſt

Ruremunda, ſedes Epiſcopalis & conventus juridicus; dein *Gelre*, quæ nomen Ducatui dedit: poſt eam *Venloo*. Gelria Confœderata in tres dividitur potiſſimum portiones: quarum Velavia, vulgo *de Veluvve*, urbes habet Arenacum, vulgo *Arnhem*, caput in hac parte, ac ſedes olim Ducum, nunc conventus Iuridicus totius provinciæ. Poſt hanc ſunt Hardervvicum, & Elburgum. Betavia altera pars, hodie *de Betuvve*, veteris Bataviæ nomen fert: in hac ſunt Comitatus *Buren*, & *Culenburg*, eodemque pertinent duæ munitiſſimæ urbes *Bommel*, & Noviomagus, vulgo *Nimmegen*, & *Nieumegen*. Tertia pars antiquæ Gelriæ eſt Comitatus Zutphanienſis quæ unam in XVII conficit per ſe provinciam. Nomen habet à capite ſuo *Zutphen*: ſunt præterea nobilia munimenta, *Grolle*, *Bredefort*, *Lochem*.

Transiſalania, *Over-Yſſel*.

Transiſalania nomen habet à ſitu trans Iſalam flumen. Dividitur in tres parteis: *Salandt*, *Tvvente* & *Drente*. Tota provincia celebratur tribus quondam liberis civitatibus, *Deventer*, *Campen*, *Svvolle*: nunc etiam eodem nomine gloriantibus. Sunt præterea duo inſignia munimenta, *Steenvvijck* & *Coeverden*; quorum illud ſatis egregium opidum.

Friſia,


Incognitæ positiones loca,
Ambeglanna, Andates.
Baduna, Samnium.
OCCIDENTALIS OCEANUS.
CALEDONIUS OCEANUS, vel.
Flacco DEUCALEDONIUS Ptolemæo.
VERGINIUM MARE.
HIBERNIA
MARE HIBERNICUM.
OCEANUS BRITANNICUS.
BRITANNIA MAIOR
Hyperboreus Oceanus.
OCEANUS
GERMANICUS,
sive CIMBRICUS.
MORINI.
BRITANNICARUM INSULARUM TYPUS.

Frisia, *West-Frieslandt.*

Frisia, quæ Occidentalis cognominatur, vulgo *West-Frieslandt*, caput habet Leovardium, *Lieuvvarden*, urbem splendidam, ac magnificam, ubi conventus Iuridicus totius provinciæ, præfectorumque sedes. Sequuntur *Harlingen*, celebris portus, *Franiker*, *Sneeck*.

Groningensis Provincia, *Groeningerlandt.*

Groninga urbs est satis ampla ac celebris, quæ nomen provinciæ dedit. *Delfziel*, locus versus Germaniam munitissimus.

Academia Belgica.

Academiæ sunt, Hispanicæ ditionis, Lovanium ac Duacum. Confœderatarum provinciarum, Lugdunum Batavorum, Frankera, ac nuper erecta Groninga.

CAP. XX.

De Britannicis Insulis.

GAllico littori ac Rheni ostiis adjacent insulæ innumeræ, Britannicæ in universum adpellatæ: quarum duæ magnitudine nobiliores Albion atque Ibernia dictæ sunt: at quæ Albion ante, ab albis ad littus petris,

Græcis hominibus vocitata fuit, propter excellentiam postea Britanniæ nomen sola obtinuit, cum reliquæ suis sibi nominibus adpellarentur.

Hæc omnium quæ Europæ adjacent, quasque Romana notitia complexa est, maxima, nomen Orbis alterius mereri amplitudine sua veteribus visa est: clara Græcis, clara Latinis monumentis. Duo hodie Regna, Angliam atque Scotiam continet.

Anglia solo est tam ubere ac fœcundo, ut omnia majori nitidiorique forma prognata benignius quam aliæ terræ alat; cœlo adeo clementi, uti rorem marinum ac laurum magna copia producat. Id imbribus ac nebulis crassum asperitatem frigorum prohibet. Asperioris cœli solique est Scotia, longius in Septemtrionem producta: saxo sterili plurimum ac lacubus horrida, tristisque adspectu.

Gens olim Britannica inculta, inhospita, immanibus moribus fera vel fœda: nunc Angli omnium delicatissimi perhibentur. Nomen genti seu insulæ unde quæsitum, parum constat. Porrigitur insula in longum à Tarvidio seu Orcade promontorio, vulgo nunc *Dunsbyheat*, ad Dubrim portum, vulgo *Dover*, milliaria Germanica circiter CL. Latitudo maxima patet inter Dubrim ac Bolerium promontorium, vulgo *the Landes end*, mill. Germ. LXX. Ipsa forma triquetra in

tres

tres angulos se cuneat. quorum unus Septemtriones prospicit, nullis contra terris, vasto atque aperto mari: alter Belgas ac Rheni ostia: tertius Hispaniam. Vnum latus in Orientem, Germaniæ (intellige veteris, cujus pars Norvegia) obtenditur; alterum in Meridiem, Galliæ; tertium in Occidentem, Hiberniæ. Oceano undiquaque alluitur, ab Occasu Hibernico, ab Septemtrionibus Caledonio, ab Ortu Germanico, à Meridie Britannico; ubi fretum Gallicum inter Dubrim & Bononiam.

CAP. XXI.

Divisio Veteris Britanniæ, item de fluviis & opidis.

EAm insulæ partem, quæ nunc Scotia est, Caledoniam olim adpellatam cum ex aliis, tum ex Tacito maxime liquet. at tota postmodum divisa in Majorem & Minorem. Major ea pars, quæ nunc Anglia. Minor quæ Scotia.

Major Britannia.

Majoris populi, quorum nomina apud rerum auctores clara: Ostidamnii ac Damnonii, nunc *Cornuvval* regio: Durotriges, *Devonschire*: Belgæ, *Sommerset*: Segontiaci, *Soutsex* & *Southampton*: Bibroci, *Surrey*:

Cantii, quorum regio Cantium, vulgo nunc *Kent*: Tribonantes, *Middelsex*, & *Hardforschire*: Cassii, *Cambridge* & *Essex*: Zoeni, *Nortfolck* & *Suffolck*: Ancalitæ, *Oxford*, & *Buckingam*: Atrebatii, Berceria; Dobuni, *Glocester*: Silures omnium latissime incolentes, nunc Wallia, vulgo *Waelles*. Ordovices, *Cardigan*: Demetæ, *Carmathin*: Cornavii, *Cornavvan*. Præterea Coritani, *Lincolnschire*: Parisii, ea pars *Yorckschire*, quæ *Lincolnschire* contermina: Brigantes, reliquum *Yorckschire* & *Northumberlandt*. Meætæ, *Cumberlandt*. Horum omnium clarissimi fuere Silures atque Brigantes: hi numerosissimi, illi pugnacissimi.

Minor Britannia.

At in Minori Britannia sive Caledonia, olim omnia obscura, ac pleraque veteribus ignota, nihilque sylva Caledonia ac monte Grampio clarius.

Fluvii Britanniæ.

Fluvii Britanniæ celebriores sunt; Tamesis, vulgo *Tams*: Sabrina, *Savern*, & *Humber*: brevissimo cursu, at latissimis ostiis (id æstuaria efficiunt) commodum majoribus navibus accessum præbentes.

Habi-

Habitationes Veterum Britannorum.

Vrbes Britanni nullas antiquitus incoluerunt, quum autem hominum esset infinita multitudo, creberrimis ædificiis dispersi egerunt; opida, ut autor est Cæsar, vocarunt, quum sylvas impeditas vallo fossaque munivissent, quo incursionis hostium vitandæ causa convenire consueverant. Postea vero cum Romani eo legiones suas coloniasque invexerunt, cultius jam paucis quibusdam urbibus habitari cœptum est. In his Camalodunum fuit Romanorum colonia, nunc *Malden*, opidum maritimum in Essexia; & Londinium, nunc *Londen*, copia negotiatorum & conventu jam tum maxime celebre.

Cap. XXII.

De Incolis Britanniæ.

De incolis Britanniæ sic Cæsar in Comm. de Bell. Gall. *Britanniæ pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula ipsi memoria proditum dicunt: Maritima pars ab iis, qui prædæ ac belli inferendi causa ex Belgis transierunt. qui omnes his fere nominibus civitatum adpellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt.* Post hunc Tacitus: *Britanniam*, inquit, *qui mortales initio coluerint, indigenæ an advecti, ut inter*

barbaros, parum compertum: habitus corporum varii, atque ex eo argumenta: namque Caledoniam habitantium rutila coma, magni artus, Germanicam originem adseverant. Silurum colorari vultus & torti plerumque crines, & positus contra Hispaniam, Iberos veteres trajecisse easque sedes occupasse, fidem faciunt: proximi Gallis & similes sunt. Gallos vicinum solum occupasse creditur. Regibus olim, ut nationibus distincti, regebantur. Primus omnium Romanorum Iul. Cæsar cum exercitu Insulam ingressus, quanquam prospera pugna terruerit incolas ac littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. At Claudius Imperator trajectis legionibus gentem perdomuit: paulatimque in formam provinciæ proxima pars Britanniæ redacta est: donec tota tandem in Romanorum potestatem sub Domitiano pervenit. Quanquam non desunt, qui negent, unquam à Romanis perdomitam fuisse Caledoniam, id est, Scotiam: pro argumento adferunt, murum in limitibus majoris minorisque Britanniæ à Romanis contra Pictorum Scotorumque incursiones exstructum. Verum hos refellunt Dionis Zosimique historiæ, in rebus gestis Severi & Constantini Imperatorum. Cæterum, imperarunt Romani Britanniæ ad Theodosii usque tempora: tunc vero cum legiones præsidiaque

diaque Romana, ad Galliam defendendam accersita, illam inermem relinquerent, Scoti Pictique ulteriorem insulæ partem, quæ nunc Scotia est, incolentes, ea occasione illecti, citeriorem, id est, Angliam armis invaserunt: quorum impetum quum hi sustinere nequirent, Anglos ex Germania atque Saxones in auxilium vocarunt; hi postmodum hospitii fide ac jure violatis, Britannos domibus agrisque pepulerunt. Pulsorum pars in Galliæ extremum angulum sedem, ut supra dictum, nomenque intulerunt: pars intra montes, (Wallia nunc est) utpote loca contra hostium violentiam satis munita ac tuta concedentes, ad hanc usque tempestatem priscam Britannorum gentis linguam conservare creduntur. Scotia abhinc à Scotis denominata suos ordine habuit Reges: Angliaque ab Angelis nomine tracto, seorsim suos. Wallia, vulgo Anglis *Wales*, incolis *Cambray*, suis olim principibus post Anglorum perfidiam diu recta fuit. tandem bello victa, horum cessit imperio. Inde mos invectus, uti primogenitus Anglorum Regis filius Princeps Walliæ nuncupetur.

CAP.

Cap. XXIII.

De Anglia.

Cæterum, Anglia dividitur ab Scotia Tueda ac Solveio fluminibus. Occupat in longitudinem à *Waymouth* promontorio prope Dorceſtriam, ad Barvicum opidum in finibus Scotiæ, milliaria Germanica LXXX: In latitudinem ab opido S. Davidis ad opidum *Yarmouth* milliaria circiter LX. At ſi infimam partem, id eſt, latus meridionale permetiaris, milliaria erunt circiter LXX.

Diviſio Angliæ.

Cæterum, Anglia diviſa fuit medio ævo in duas parteis: Cambriam; quæ eadem nunc Wallia: & Loegriam, reliquam Angliæ partem. Fuerunt ad patrum noſtrorum memoriam in ea Ducatus aliquot: verum his abolitis, LII Comitatibus, quos incolæ *Shires* vocant, tota diſtincta eſt.

Archiepiſcopatus ſunt duo: Cantuarienſis in urbe Cantuaria; vulgo *Canterburii*: & Eboracenſis in urbe Eboraco, vulgo *Yorke*: his Epiſcopi ſubſunt XXIV.

Vrbes Angliæ, Portus & Academiæ.

Vrbium princeps eſt Londinium, *London*; caput atque compendium totius regni, Emporium-

poriumque inter celeberrima Europæ nequaquam postremum : urbs amplitudine ac duorum templorum immensa magnitudine maxime conspicua. Hanc magnitudine incolarumque frequentia sequitur Eboracum, inde Bristolium, vulgo *Bristovv*, Gallicarum mercium nobile Emporium ; ut *Southampton* Hispanicarum. De reliquo Oxonium, vulgo *Oxford*, & Cantabrigia, vulgo *Cambridge*, illustribus Academiis ornatæ, magnificentissimis collegiorum ædificiis celebrantur. Sunt præterea inprimis visendæ arces seu domus Regiæ circa Londinium, in lætioribus atque amœnissimis agris dispositæ : quarum nomina *Grinvvich*, *Richmont*, *Kingston*, *Nonsuch*, *Hamptoncourt*, *Windser*, & versus Cantabrigiam *Tebal*. Brevissimus ex Britannia ad continentem trajectus est à Dubri ad Caletum, vulgo *Calais*, Galliæ opidum, mill. Germ. VI. Reliqui portus celebriores sunt; in Orientali insulæ latere *Nieucastel*, *Hull*, *Lyn*, *Yarmouth*, *Harvvich*, *Colchester*, *Sandvvich* ; in Meridionali latere *Pleymouth* ; in Occidentali latere, *Chester* : unde naves in Hiberniam navigaturæ solvunt.

Insula ad Angliam.

Insularum Anglico litori appositarum clariores sunt ; ab Occasu Mona, nunc *Man* ; incolis quondam validissima ; & Menavia

via sive Monapia ; nunc *Anglesci* Anglis ; Wallis, *Mon*, à Meridie est Vectis, nunc *Wight*.

Cap. XXIV.

De Scotia.

SCotiæ longitudo est à Meridie in Septemtriones, id est, à promontorio quod accolis *The Mule*, *of Gallovvay* qua Hiberniam spectat, ad promontorium *Dunsby heat*, quod ab Orcadibus Insulis conspicitur, mill. Germ. Lxx : latitudo ab Occasu in Ortum, hoc est, à Novantum promontorio, nunc *Ardermouth head*, prope Mulam insulam, ad promontorium Buchananum, vulgo *Buquhamnes*, milliaria L. Regio, ut solo, sic incolis bifariam divisa est. quidpe Grampius Mons, nunc *Gransbain*, ab occasu in ortum tendens, mediam secat. Qui meridionalem partem habitant, cultiores numerosioresque lingua propemodum ac moribus utuntur Anglicis. Septemtrionales, hominum genus asperum, ferum ac sylvestre, sermone, habitu, moribusque Hibernicis vivunt. Vrbium clarissima est Edenburgum, vulgo *Edimbrovv*; regni caput sedesque Regia : *Glasco* & *S. Andreas*, Archiepiscopatibus sunt insignes, quibus suppositi Episcopatus XIII. Academia illustris est S. Andreæ, & Aberdonium, vulgo *Aber-*

Aberdon & *Aberdain*, haud ita nobilis, at portus celebris.

Insulæ ad Scotiam.

Insularum ad Scotiam clarissimæ sunt; versus Occasum, Hebrides XXX amplius numero: ad Septemtriones Orcades, nunc *The iles of Orknay*, XL amplius numero: longius dissitæ versus Septemtrionem VII Acmodæ, nunc *Farre*. Vltima Britannicarum erat Thule, nunc *Islandt*: de qua postea suo loco.

CAP. XXV.

DE HIBERNIA.

HActenus de Albione Britannicarum Insularum maxima; item de minoribus Britannicis insulis: at secunda magnitudine est in Occasum sita Hibernia; Iverna, & Ierna quibusdam adpellata: nomine inibi nato; quum incolæ hodieque *Eryn* vocitent, Angli vero *Yrlandt*. De natura hujus insulæ, incolarumque ingenio, etiam nunc verum manet, quod tot retro seculis Pomponius Mela tradidit: *Adeo luxuriosam herbis, non lætis modo, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant: Cultores ejus inconditos esse, & omnium virtutum ignaros, magis quam alias gentes.* Hæc Mela;

Cæte-

Cæterum, cœlo est miti, clementi ac sereno, terra nullum animal venenosum alit nec patitur. Longitudo ejus maxima porrigitur mill. German. LX. Latitudo autem mill. German. XXX. Qui populi primi eam incoluerint parum constat, nisi quod Celtici cum reliquis Britannis fuerint generis. Brigantes, Cauci, Mænapii, quos in ea Ptolemæus memorat, mirum ni ex Gallia, Britannia, Germania, huc trajecerint. Dividitur hodie in quatuor potissimum regiones. Langinia, vulgo *Lenqueſter*, in Orientem spectans, ut Angliæ propior, ita cultior. Haud multum absimilis huic Mononia, vulgo *Mounſter*, qua Galliæ in Meridiem obtenditur. asperiores, Connacia, *Connacht*, & Hultonia, *Quunſter*; hæc in Septentrionem, illa in Occasum, vergentes.

Comitatus per totum regnum sunt XXXIII. Opidula rectius quam urbes Hibernos incolere dixeris. Regni caput est *Armagh*: Secunda ab hac *Dublyn*, opidum munitissimum, sedes præfecti, quem huc cum titulo Vice-regis mittit Rex Angliæ: sedes item Archiepiscopi, ut & *Armagh*, & *Caſhyl*. his subjecti sunt Episcopi XII. *Arglas* celebris est portus; Academiam sustinet prædictum Dublinum. Atque hæc breviter de Insulis Britannicis: nunc tempus est in Continentem reverti: ac primo loco de Germania.

LI-

LIBER TERTIVS.

Cap. I.

De veteri Germania.

GERMANIAM, quæ nunc terrarum cultu, urbium ſplendore, ædificiorumque magnificentia, cum Italia conferri, reliquis vero regionibus præferri poſſit, *terris informem, montibus aſperam, cultu aſpectuque triſtem, in univerſum ſylvis horridam, aut paludibus fœdam, utriſque inviam*, veteres prodiderunt, in tantum res mutantur.

Nomen Germanorum unde deductum ſit, varium inter autores eſt certamen: à Gallis id inventum, & quinque primo Germanorum nationibus, Eburonibus, Condruſis, Segnis, Cæræſis & Pæmanis, è Germania in Galliam transgreſſis inditum, qui poſtea uno itidem fuere nomine Tungri dicti, ex Cæſaris, Taciti, Dionis, & aliorum ſcriptorum monumentis clarum ſit rimantibus. Id poſtmodum Gallorum Romanorumque uſurpatione in univerſam gentem Transrhenanam tranſiit. Ipſa gens ſuo ſibi vocabulo ſemper adpellata fuit Teutiſci, vulgo *Die Teutiſche*, ab ipſius veri æternique Dei, rerum omnium conditoris, antiquiſſima pluribuſque

que gentibus usurpata adpellatione *Theuth*: ab hoc enim illi, & à primo mortalium *Manno*, id est, Adamo, è terra condito, originem se ducere prædicarunt; ut latius infra dicetur. Ad limites Germaniæ quod attinet, vehementer errant illi, qui latius nunc quam olim Germaniam patere, ex Ptolemæi Geographia adfirmant; maxime ii, qui duplo majorem faciunt. Secus mihi sententia est, qui dimidio minorem censeo. Elsatiam, Lotharingiam, Treviros, Luceburgenses, Brabantios, Iuliacenses, dimidiam partem Geldriæ, Hollandiæ, omnem Selandiam, ac Flandriam hodie accessisse, ajunt: ego accessisse nego; mansisse adsevero. Quidpe Plinius jam inde Germaniæ limitem ad Scaldim fluvium protendit. Idemque simul & Tacitus ab usque Sequanis omnem Rheni citeriorem ripam Germanos accoluisse tradit. Apud Cæsarem ipsi Rhemi, Belgica natio, ultro testati sunt, Belgas plerosque esse ortos à Germanis. Ex Gallia quidem uni Helvetii, ex Illyrico veteri Vindelicia & Noricum, quæ inter Alpes Danubiumque sitæ sunt regiones; item Pannoniæ superioris pars; extra veteris Germaniæ limites nomenque censitæ fuerunt. Verum eis oppono quicquid est terrarum hodie Poloniæ citra Vistulam amnem, qui terminus olim Germaniæ fuit; item Bojohæmum; quarum regionum sermo aperte ge-

nus

nus atque originem incolarum indicat. Prussios etiam atque Livones, quia Germanica lingua utuntur, Germaniæ accessisse illi censent: quum antiquitus Venedi, Sarmatica gens, incoluerit: ego & hos accessisse nuper, nego; mansisse à multis sæculis, ajo. Quidpe Æstios, qui olim totam Livoniam ac Prussiam, omnemque fere dextram ripam Vistulæ late patentem occuparunt, disertissimis verbis Germaniæ adscribit Tacitus. Idem auctor, & Plinius, regiones hodie, Norvagiam, Sveviam ac Fennos, & quidquid terrarum Oceano Septemtrionali, Moscoviæque confiniis ambitur, Germaniæ attribuunt. Quin etiam Peucini, alio nomine Bastarnæ dicti, à Vistulæ fontibus olim ad Pontum usque Euxinum & Istri ostia extensi, Germani fuerunt, testibus iisdem Scriptoribus. Vetustissimi igitur Germaniæ termini fuere; ab Occasu Rhenus amnis, & Oceanus Germanicus; à Septemtrione Oceanus Septemtrionalis sive Hyperboreus; ab Ortu Granvicus & Finnicus sinus, mare Svevicum, sive sinus Codanus, Vistula amnis, & à fonte ejus linea ad Sarmaticos montes ducta, qui è Septemtrione in Meridiem ad Danubii usque ripam protensi, ubi opidum nunc Hungariæ *Vacia*; dein à Meridie ipsum Danubii flumen. Postea vero portiones ei ex Gallia ad lævam Rheni ripam, & ex Sarmatia ad sinum Codanum & dextram

Vistu-

Vistulæ ripam accesserunt, ut dictum est. Longitudo ejus summa fuit à Scritofinniæ promontorio, vulgo *Noortkiin*, quod in Oceanum Septemtrionalem excurrit, ad Danubium usque, mill. Germ. cccc. Latitudo vero maxima à Rheno amne juxta Basileam, ad Amadocam usque paludem, quæ in confiniis Russiæ, Lituaniæ ac Podoliæ sita est, mill. Germ. cc.

Cap. II.

Divisio Veteris Germaniæ, ac primum de Vindilis & Ingævonibus.

GEnera Germanorum quinque à Plinio traduntur, Vindili, Ingævones, Istævones, Hermiones, & Peucini, qui & Bastarnæ.

Vindili.

Vindili, etiam Vinili, & Vandili, Vandali, Vandalii, & Vanduli Romanis Scriptoribus simul & Græcis dicti sunt. Horum nationes fuere, Gothones, qui & Gotones, Gutones, Gutthones, ac Gythones, Gothi & Gotthi auctoribus dicuntur; nunc Cassubiæ pars ad Vistulæ infimam partem, quæ proprie *Pomerellia* nunc dicitur: ubi nobis natale solum. Carini, Pomeraniæ pars, in qua opida *Stolpe*, *Colberg*, *Corlin*, *Camin*. Lemovii, ea pars Pomeraniæ, in qua *Stetin*, *Vsedom*, *Wolgast*, *Gripes-*


Populorum GERMANIÆ inter Rhenum et Albim descriptio, ut inter Cæsaris ævum incoluerunt.
LAGNUS SINUS.
CIMBRI.
SAXONES. qui Tacito FOSI.
ANGLI.
Varini.
CAVIONES
CHAUCI.
FRISII.
BRUCTERI.
CHAMAVI.
CHERUSCI.
ANGRIVARII.
DULGIBINI.
MARSI.
MARSACI.
CHATTI qui et CHASSI et CATTI.
MENAPII.
TUNGRI.
Sunici.
Iuhones.
MATTIACI.
TREVIRI
VANGIONES.
MEDIOMATRICI.
NEMETES.
ALEMANNI.
HERMUNDURI.
NARISCI.
VINDELICIA.
SEQUANI.
RAURICI.
Brigantinus lacus
Brigantium
Fines


Populorum GERMANIÆ inter Rhenum et Albim descriptio, ut circa I. Cæsaris ævum incoluerunt.
LAGNUS SINUS.
CIMBRI.
SAXONES. qui Tacito FOSI.
Varini.
ANGLI.
THEURINGI.
CAUCHI.
FRISII.
BRUCTERI.
CHAMAVI.
ANGRIVARI.
CHERUSCI.
LANGOBARDI.
TUBANTES.
DULGIBINI.
MENAPII.
SIGAMBRI.
CHATTI.
CHASSI.
HERMUNDURI.
EBURONES.
SEGNI. Condrusi.
SVEVI.
UBII.
TREVIRI.
VANGIONES.
SEDUSII.
MEDIOMATRICI.
NEMETES.
HARUDES.
NARISCI.
MARCOMANI.
Germania
Danubius
VINDELICIA.
Brigantinus Lacus
Brigantium
Fines



Gripesvvolda. Rugii antiquitus, circa *Rege* flumen Pomeraniæ, & opidum *Regenvvolde*, dein in insulam transgressi, quæ etiamnunc Rugia, vulgo *Rügen* adpellatur. Varini, in Meckelburgensi Ducatu, circa flumen & opidum *Warne*. Angili sive Anglii, reliqua Meckelburgensis agri pars, ad Lubecam usque. Eudoses, Suardones, Nuithones pars Meckelburgensis agri, Pomeraniæ Marchiæque proxima. Caviones, pars Marchiæ, Dannebergensi Comitatui proxima. His contermini Deuringi, sive Thoringi, in eadem Marchia, circa opida *Havelberg*, & *Rappin*. Longobardi, in Marchia media, vulgo nunc *Middelmarch*, inter Albim & Viadrum amneis. circa opida *Grabouvv*, *Brandenborgh*, *Berlin*, *Brötzen*. Semnones, in portionibus Marchiæ, Misniæ, Lusatiæ, Silesiæ, atque Poloniæ, inter Albim & Wartam amnem in Viadrum defluentem. Burgundiones, in partibus Cassubiæ ac Poloniæ, inter Gotones ac Semnones.

Ingævones.

Ingævonum populi fuere isti: Chauci, qui & Cauchi, & Cauci; inter Amesiæ Albisque ostia utramque accoluerunt Visurgis ripam supra Bremam usque opidum; deinde usque Mindam, qua Chattis jungebantur. Qui apud Tacitum Fosi; reliquis auctoribus Saxones adpellantur: horum tota fuit Hol-

satia ad Cimbricam usque peninsulam. Postea omnem oram maritimam occuparunt ab Albi ad Rheni usque ostia: unde cum Anglis in Britanniam insulam abiverunt. Cimbri omnem eam tenuerunt peninsulam, quam nunc antiqui nominis itidem gens incolit Iutæ. Teutoni Danicas incoluerunt insulas; quarum maxima vulgo *Zeelandt*, Melæ dicitur Codanonia, nempe à gente Teutonorum, qui variantibus dialectis jam tunc dicebantur Dani, Godani & Codani: unde totum hoc mare etiam dicitur Codanus sinus eidem Melæ ac Plinio, quod Tacito mare Suevicum, quia utrumque Suevi accoluerunt, ut mox ostendam. Regiones trans dictum mare, quæ nunc sub Norvegiæ ac Suediæ Finniæque maxime nominibus veniunt, immensas Germaniæ insulas esse, falso crediderunt veteres, quum verius sint peninsulæ. Harum maximam, quæ Norvegiæ Suediæque regna continet, à proxima gente quidam dixerunt Scandiam, & Scandinaviam: alii à freto, quod est inter Danicas insulas, vulgari vocabulo *Belt*, Baltiam: quod vocabulum postea corruperunt in Basiliam. Altera peninsula, vulgo nunc *Finland*, Plinio dicitur Finningia. In Scandia populi Scandii, sive Scanii: vulgo nunc *Scanen*, unde toti peninsulæ nomen. His contermini fuere Hilleviones, nunc *Halland*. Vltra utrosque incoluerunt Sitones,

nunc


SUEVIÆ
quæ cis Codanum
fuit sinum antiqua
descriptio.
CODANUS
Insula in qui, soles
dee Herthe il est
Terræ matris
SINUS, quod et
MARE SUEVICUM.
SAXONES
ANGLI
CHAUCI
CHE
VARINI
Eudoles
RUGII
CARINI
SIDINI
BURGUNDIONES.
CAVIONES
SCARDONES
NUITONES
DHURINGI
qui et
THORINGI
LANGOBARDI
SEMNONES
Budorigum
Mesorinum
Melibocus mons et
Hercinia Silva
CHATTI
Castellum Cattorum
Erfurdum
Calegia
DURI
Hercinius mons
Lupfurtum
Gabreta
Sylva
Marobodum
BOIOHÆMUM
Cujus incolæ
NARISCI
qui et
NARISTI et
MARCOMANNI
MALAUSI
ALEMANNI
HERMUNDURI
Terminus Imaus
BOII.
Germanicus et
Romanum Imperium
Danubius fluvius
Augusta Vindelicorum
VINDELICIA.
NORICUM.
PANNONIA.
Brigetio
Sarmatici montes
Budissus fl.
DACIÆ
PARS
Venedici montes
ÆSTIORUM
PARS
VENEDI
Sarmatæ
LUGII
qui et
LYGII
et item
LOGIONES
PEUCINI
Carrodunum
Segovia
BASTARNÆ.
GOTHINI qui et
COTINI et GOTHUNI
et GOTHAUNI
CUTONES
qui et
GOTHONES
et
GOTHI
HERULI
SARMATÆ VAGI
sive
IAZYGES et
METANASTÆ
Vistula fl.
Vistula fluvius
Suevicum mare
Codanus sinus
Eridanus fl.
Elector. Trev.
Marienis
Marienus altera
Treve
Laurburgum
Lausana
Ruscinium
Tronchium
Brisacum
Mesorinum
Budorigum
Melibocus mons et
Hercinia Silva
Erfurdum
Calegia
Hercinius mons
Lupfurtum
Gabreta
Sylva
Marobodum
Cujus incolæ
Germanicus et
Romanum Imperium
Danubius fluvius
Augusta Vindelicorum
Brigetio
Sarmatici montes
Budissus fl.
Vistula fl.
Vistula fluvius
Suevicum mare
Codanus sinus
Eridanus fl.
Elector. Trev.
Marienis
Marienus altera
Treve
Laurburgum
Lausana
Ruscinium
Tronchium
Brisacum



nunc Norvegii, vulgo *Norige*, & *Norge*: quorum terra jam antiquissimis Græcorum autoribus dicta Nerigon. Vltra hos sunt Marchiofinni, vulgo *Marchfennen*. His continuantur Scritofinni, vulgo *Scritfennen*; extremi versus Septemtriones apud promontorium, Rutubæ Plinio, vulgo nunc *Noortkiin*. His proximi sunt versus Orientem Lappiones, sive Lappii, vulgo *Lappen*: infra hos versus Meridiem sunt Suiones sive Sueones, nunc Suedi, vulgo *Svveden*. Infra hos Gutæ sive Guti, quorum regio nunc vulgo *Gutlandt*. hi falso vulgo adpellantur Gothi, & regio eorum Gothia; quum hi fuerint iidem & Gothones ad Vistulæ ostia: ut supra dictum. Sed hic jam est antiquus scriptorum error: unde ridiculæ illæ Iornandi fabulæ de Gothorum origine. Finni Ptolemæo, Tacito dicuntur Fenni, quod nomen hodieque servant, variatis dialectis, vulgo *Fennen* & *Finnen* dicti.

Cap. III.

De Istævonibus, Hermionibus, atque Bastarnis, item Suevia, & veterum Germanorum habitationibus.

IAm vero Rheno proximi erant Istævones: horum nationes fuere Frisii, Bructeri, Angrivarii, Chamavi, Ansibarii, Dulgibini, Chassuarii, Marsi, Tubantes, Marsaci, Sicambri,

bri, Vbii, & qui in horum postea agros successerunt, Visipii, Tencteri, Iuhones, Mattiaci; prætereaque antiquissimis temporibus Marcomanni, Harudes & Sedusii: qui tres populi postmodum in Bojohæmo inter Hermiones sedes locarunt. Ex his omnibus Frisii, Marsaci & Bructeri quo situ fuerint, jam ante in XVII inferioris Germaniæ Provinciarum descriptione dictum est. Sed Bructeri postea inter superiorem Luppiæ amnis partem & Agrippinensem Coloniam coluerunt. Marsi, antequam Drusiana fossa, quæ est in Gelria, inter Arnhemum & Dusburgium, facta est, superiorem Velaviam & Zutphanienſis Comitatus partem, qua opida sunt *Dotechum*, *Grolle & Bredefort*, incoluerunt. Fossa autem facta, pars eorum intra Rheni divortia inclusi novum vocabulum Marsacorum, sive Marsatiorum, adsumserunt; de quibus supra: pars autem veteri nomine servato in interiora concesserunt, inter Amisiam & Luppiam amneis, opidumque *Dulmen*. Angrivarii, Bructeris proximi, primum inter Amisiam & Visurgim amneis, qua est opidum *Minden*, coluerunt: Chamavi vero, supra hos inter Amisiam & Loam flumen, quod Amisiæ paullo supra Emdam miscetur. postea vero utraque gens Bructeris expulsis agros eorum occuparunt: Chamavi versus Occidentem; Angrivarii versus Septemtriones. Hinc Dulgibini

gibini tenuerunt inter opidum Paterbornam & Visurgim, qua *Flotovv* ei opidum appositum. In his Quintilius Varus, cum tribus legionibus, cæsus ab Arminio Cheruscorum Duce, inter opida *Dietmelle* & *Horn*. His proximi versus Meridiem fuere Chassuarii, qui & Chattuari, inter Paterbornam & Visurgim, qua ei opidum *Huter* impositum; pars quondam fuere Chattorum. At Anisibatii tenuerunt inter Visurgim & lacum *Dommel*, apud quem opidum *Diepholt*. Tubantum varia semper fuit sedes, ad superiorem Amisiæ partem. Sicambri Rheni ripam tenuerunt à Colonia Agrippinensi ad Rheni usque divortium; ab Oriente vero usque ad Cattos, circa fontes Lappiæ, & opidum *Medebach*; postea à Tiberio in Galliam transportati, ubi inter Mosam & Rhenum Gugerni dicti. horum agri portiones deinde tenuerunt in Rheni ripa Vsipii, sive Vsipetes, & Tencteri: hi apud Coloniam, illi ad Rheni divortia. Vbii in Germania Rheni Mœnique dextras ripas tenuere, ad Coloniam usque, ab Oriente Chattis contermini. Horum agros Chattorum postea partes, occuparunt Iuhones & Mattiaci. horum fuit superior ripa & Nassoviensis Comitatus, cum Wetteravia & Hassiæ parte, qua Marpurgium nunc est, quondam Mattium dictum; unde genti nomen; illi inferiora tenuere, cum Westervvaldia. Marco-

manni, antequam cum Seduſiis & Harudibus in Bojohæmum migrarent, fines habuere inter Rhenum, Danubium, Cocharum & Nicrum amneis. Seduſii inter Cocharum, Nicrum, Rhenum & Mœnum: proximi his fuere Harudes, ad lineam à fonte Mœni ad Danubium uſque & opidum Ingolſtadium ductam. Allemanni Gallorum fuere colluvies, ſub Cæſare Auguſto, quum Maroboduus Marcomannos, Seduſioſque & Harudes, in Bojohæmum deduceret, in horum fineis inter Danubium, Rhenum ac Mœnum transgreſſi; unde nomen.

Hermiones.

Hermiones verſus Meridiem ad Danubii uſque ripam incoluerunt. in his populi fuere iſti: Cheruſci, Chatti, Hermunduri, Nariſci, Marcomanni, Quadi, Oſi, Gothini, Lugii, Burii, Marſigni. Cheruſcorum agros nunc tenent Brunſvvicenſes, ac Luneburgenſes: Chattorum Haſſi & Thuringi. Hermunduri, ab initio inter Salam & Albim & Bojohæmum incoluere Voitlandiam, & Miſniæ Saxoniæque ſuperioris parteis; deinde quum Harudes cum Marcomannis ac Seduſiis in Bojohæmum tranſgreſſi, Harudum porro agros illi occuparunt ad Danubium uſque. hi poſtea proprie Suevi dicti ſunt. Nariſci tenuerunt inter Bojohæmi Occidentale latus & Da-

& Danubium lineamque à Mœni fontibus ad opidum Ingolstadium ductam : postmodum Armalausi dicti. Marcomanni, Seduſii atque Harudes, Maroboduo Duce, à Rheno in Bojohæmum transgressi sunt : ubi tamen Seduſiorum Harudumque nomina obscurata vel prorsus exstincta. Quadi antiquitus inter Bojohæmum, Danubium & Marum flumen incoluerunt ; postea vero nomen eorum ad Sarmatica usque juga, quæ sunt in Hungaria, inter duo celebria quondam opida, *Erlam* & *Vaciam*, protensum fuit. Osi Moraviæ ac Sileſiæ parteis coluere, inter opida *Oſtram* & *Oſvvieczym* ; quorum hoc Vistulæ, illud Maro impositum. Infra hos fuere Gothini, itidem Sileſiæ partem inter Mari Vartæque fluminum fonteis colentes. Hinc Lugii, magna gens inter Vartam & Vistulam, Poloniæ partem tenuere, ad opidum usque Vladislaum Vistulæ adpositum. His contermini versus Occidentem Burii, inter Vartam & Viadrum ; his Marsigni inter Viadrum & Bojohæmum ; utrique finitimi Semnonibus supra dictis.

Bastarnæ, sive *Peucini*.

Bastarnas quondam à Vistulæ dextra ripa ad ostia usque Istri incoluisse, supra dictum est. Ipsos quoque ostiorum insulas tenuisse, quarum maxima dicebatur Peuce, nomen eorum alterum Peucini indicat.

Æstii, quos Livoniam Prussiamque inhabitasse, supra dixi, cui quinque generum adscribendi sint, dubito: quum ab Rheno quondam in has sedes inter Ingævones Bastarnasque profecti fuerint. Distinguebantur in Hiros atque Scyros sive Sceros: hi Prussiam, illi Livoniam habuere.

Suevia.

Cæterum, Suevia antiquissimis temporibus erat quicquid ab Occidente Bojohæmicis montibus, Sala, Albi, & Trava amnibus, sinu Codano, ac mox mari Germanico; à Septemtrionibus mari glaciali; ab Oriente sinu Albo, lacu Albo, sinu Botnico, mari Codano, & Vistula Maroque; à Meridie Danubio includebatur. quod spatium Suevi incoluerunt, in nationes supra memoratas distincti. Eorum antiquissimi nobilissimique Semnones fuere, utramque late accolentes ripam Viadri, qui amnis antea Suevus dictus; unde genti nomen, & à gente postea mari cognomen Suevico, vulgo nunc *die Oost-zee*. Sed posterioribus sæculis Suevi proprie habiti sunt, ceu peculiari nomine Suevorum pars, Hermunduri: quorum nunc etiam posteritas durat in regione, quæ vulgo dicitur *Svvaben*.

Priscorum Germanorum habitationes.

Nullas, inquit Tacitus, *Germanorum populis*


CHASSI.
MATTIACI.
GERMANIA.
BOIOHÆMUM.
MARCOMANNI.
NARISCI.
HERMUNDURI.
DELICIA.
BOII.
VINDELICIA.
NORICUM.
PANNONIA.
GALLIÆ HELVETII PARS.
RHÆTIA.
LEPONTII.
SINUS ADRIATICUS.
VINDELICIÆ et NORICI
Conterminarumque terrarum antiqua descriptio.

pulis urbeis habitari, satis notum est: ne quidem pati inter se junctas sedes. colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.

Cap. IV.

De Vindelicia & Norico

Antequam hodiernæ Germaniæ explicentur, terrarum inter Alpes & Danubium primum exponenda erit antiquitas; nam hæ jam circa annum Dom. ccc. ab Allemannis, Marcomannis ac Quadis occupari cœperunt, perpetuoque in hunc usque diem ab iisdem nationibus possessæ sunt. unde etiam partes factæ Germanici Imperii. Inter Rhenum igitur, sive quem Rhenus transit, lacum Brigantinum, & Lichum amnem, Rhætos: inter Lichum & Ænum Vindelicos: inter hos & Cethium montem, qui ad Viennam desinit, in Danubii ripa, Noricos ponit Ptolemæus: sed falso: ut ex Strabonis Pliniique patet Geographia, simulque situ regionum. namque Rhæti Alpes tantum incoluere, & earum valles, à Septemtrione ad lacum usque Brigantinum. Sub Alpibus ad Danubium usque fuere inter dictum lacum & Ænum flumen Vindelici. Hinc ad Cethium usque montem Norici: quorum hi etiam ipsas Alpeis tenuerunt apud Fori Iulii regionem.

Nomen habuerunt à Noreia, urbe supra Aquileiam sita. Reliqua opida clara fuere ista: Ovilia, *Wels* nunc; in Danubii ripa Vindoniana quod corrupte Vindobona, & apud Ptolemæum corruptius Iuliobona, vulgo nunc *Wien*; Lauriacum, nunc *Lorck*. Vindelicorum caput fuit Damasia, quæ postea, colonia Augusti Cæsaris auspiciis deducta, Augusta Vindelicorum dicta est. Cætera loca maxime celebria fuere: Iuvavium, sive Colonia Iovavia, vulgo nunc *Saltzburg*. Dein Reginum, sive Regina castra, vulgo nunc *Regensburg*; nomine à flumine Regino, vulgo nunc *Regen*, olim tracto. Hinc Batava castra, vulgo *Passavv*: & prope hoc opidum, apud Danubii Ænique confluenteis, Bojodurum; quod nomen accepit à Bojorum trajectu, qui à Marcomannis è Bojohæmo pulsi in has oras transmigrarunt, quas etiam nunc eorum posteri tenent, nomine nunc vitiato, Bavari; superioribus sæculis Bojoarii, & Bojuvarii dicti. Reliqua opida fuere, Abusena, *Abensperg*: Guntia, *Guntzperg*: Campodunum, *Kempten*: Abudiacum, *Fuessen*, Isinisca, *Munchen*.

CAP.

Cap. V.

De fluviis, silvis ac montibus Germaniæ.

Celebriores Germaniæ fluvii, iidemque navigiorum capaces sunt: Oceanum petentes; Rhenus, secundus claritudine Europæ: qui lacum Brigantinum, vulgo *der Bodensee*, transiens, recipit Nicrum, vulgo *der Necker*; & Mœnum, vulgo *der Meyn*; Luppiamque, vulgo *die Lippe*. Hinc Amisius sive Amisia, vulgo *die Ems*; Visurgis, *die Weser*, superiore sui parte *die Werre*. Inde Albis, nunc vulgo *die Elbe*, Salam, vulgo *die Sale*, una secum devehit. In sinum Codanum sese effundunt; Chalusus sive Trava, vulgo *die Trave*: Viadrus, antea Suevus, & Plinio Guttalus dictus, vulgo nunc *die Oder*: Vistula sive Vistillus, *die Weixel*. At Danubius, vulgo *die Donavv*, & *Danavv*, omnium Europæ maximus, à dextra ripa ex Vindelicia Lichum, vulgo *die Lech*, & Ænum, vulgo *der In*, à læva Navam, vulgo *die Nabe*, & Marum, *die March*, in Pontum Euxinum defert.

Sylvarum Romanis monumentis celebratæ sunt; Hercinia, totam fere olim Germaniam occupans; proprie tamen sic circum Bojohæmum adpellata, vulgo nunc, *der Bo-*

haymer vvald. Bacenis, quæ & Semana, vulgo nunc in Brunſvvicenſi Ducatu *der Hartz*, antiquam Herciniæ memoriam ſervans. Gabreta, vulgo *der Döringer vvaldt*. Luna, inter Moraviam, Poloniam & Hungariam. Martiana, ſeu forte rectius Hartiana, nunc *der Schvvartz vvaldt*. Cæſia, ad dextram Luppiæ amnis ripam, haud procul Veſalia.

Montium nobiliſſimum jugum Hercinium, Bojohæmum cingens, qui & Suditi montes. Dein Abnoba in Ducatu Wirteburgenſi circa Danubii Nicrique fonteis. Taunus, ex adverſo Moguntiaci, vulgo *der Hayrich*. Rhætico, ex adverſo Bonnæ, *das Siebengebirge*. Meliobocus in Brunſvvicenſi Ducatu, apud Semanam Silvam, vulgo *der Blockesbarch*.

CAP. VI.

De Incolis Germaniæ.

DE origine gentis Germanorum, multi hoc noſtro ſæculo, multa fabulati ſunt, nugatique Germani ſcriptores. Antiquus juxta & gravis inprimis auctor Romanus Tacitus, in libro quem de hac gente conſcripſit: *Celebrant* (inquit) *carminibus antiquis, (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuitonem Deum, terra editum, & filium Mannum, originem gentis con-*

conditoresque. Mannus hic erat Adam, *Theut* vero, sive *Tuit*, ipse Deus rerum omnium auctor, qui è terra condidit formavitque primum hominem, Germanis *Man*, Hebræis *Adam* dictum. ab hujus igitur *Theut* nomine tota gens sibi nomen adscivit, *Theutisci*, sive, variante Dialecto, à *Tuit*, *Tuitisci*. vulgo *die Teutissche* & *Duytsche*. Vnam eandemque linguam antiquissimis temporibus fuisse per universam Hispaniam, Galliam, Britannicas insulas, Germaniam & Illyricum, omnesque has nationes in universum Græcis dictos fuisse Celtas, supra in descriptione Galliæ dictum. Cæsar in Comm. de Bell.Gall. *Gallos*, ait, *à Dite patre se prognatos prædicasse*: quem illi haud dubie intellexere eundem *Tuitonem* Germanum: quando Lucanus illorum Deum *Teutatem* memorat. Eundem vero Teutatem Mercurium coluisse Hispanos, auctor est Livius. Ex hoc igitur argumento, simulque ex illo de lingua Celtica, colligere licet, omnes prædictas quinque nationes uno vocabulo olim dictas fuisse Teutiscos, *die Teutissche*. Aschenazem Noachi pronepotem ab urbe Babylone in dispersione gentium huc deduxisse suos, alibi demonstratum est. Hinc postmodum Hebræis semper gens Germanorum dicta fuit *Askenazim*. Cæterum, nationes nonnullas jam antiquissimis temporibus à Germania

in Gallias commigrasse, Gallos in Germaniam transgressos, tradunt apud Romanos maxime Cæsar & Tacitus, Helvetii inter Danubium, Rhenum & Mœnum, Bojohæmumque, loca tenuere: ipsum Bojohæmum Boji; unde nomen regioni. Posterioribus sæculis, quum Germanorum diversæ nationes, Gothii, Burgundi, Rugii, Vandali, Longobardi, Marcomanni, Quadi, alii in Italiam, in Galliam alii & Hispaniam, proficiscerentur; contermina olim trans Vistulam gens Venedi, sive Vinidi, quæ iidem & Slavi, magnam Germaniæ partem occuparunt, ad Albim usque. hinc crebra in Silesia, Lusatia, Misnia, Marchia Brandeburgensi, Meckelburgensi Ducatu, ac Pomerania, Slavonica urbium, castellorum ac vicorum nomina. Gens ipsa adhuc incolit totum Bojohæmum atque Moraviam, Lusatiæ item agros magna ex parte.

Cap. VII.

Quota pars Germaniæ subjecta fuerit Imperio Romano.

At operæ pretium fuerit, antequam ad hæc nostra sæcula pergam, primum indicasse, quota pars olim Germaniæ Romanorum armis debellata fuerit. Primi igitur Germanorum Romanis nomen suum dederunt, armaque noscenda, Cimbri atque Teutoni,

toni, ultro Galliam Italiamque petentes: quos C. Marius partim in Gallia, partim in Italia sub ipsis Alpibus vicit. Cæsar posthinc, dum Gallia domita Rhenum transgressus Germanos irritavit, perpetuum Romanis bellum cum Germanorum gente concitavit. Reliqua omnia, quocunque arma tulerunt, prona illis fuerunt. Germanos ingentibus sæpe exercitibus triumphatos magis, quam victos, ipsimet Romanorum fatentur scriptores. At quota pars horum armis tot sæcula Germaniam petentibus perdomita fuit? Maximis equidem ipsorum Romanorum cladibus debellati fuerunt populi Rhenum inter & Albim, Augusti Tiberiique auspiciis: at post hos nihil sub imperio suo retinuerunt, nisi Rheno proximos Frisios, Vsipios, Tencteros, Iuhones, Mattiacos, & his conterminos Alemannos: qui tamen non origine Germani, sed Galli fuerunt, ut supra dixi. Sed & hi mox circa annum Christi CC. rebellarunt, Galliamque crebris incursionibus vexarunt. quo tempore quoque natum Francorum nomen: quod sibi omnes populi inter Rhenum Albimque incolentes, in unum corpus congressi, novum à libertatis argumento imposuerunt; protinus & ipsi Galliam crebris incursionibus depopulantes. Reliqua ultra Albim Danubiumque Germania intacta semper mansit: quæ & ipsa postmodum

Suevis,

Suevis, ut supra dixi, Gothis, Burgundis, Vandalis & Longobardis, aliisque nationibus emissis, ultro Romanorum imperium petiit, totumque propemodum occupavit. Marcomanni & Quadi, Danubii accolæ, jam inde à M. Antonini Imperio, Vindeliciam, Noricum & Pannoniam Romanorum provincias, petere cœperunt. Nec ante Martia hæc Germanorum gens quievit, donec toto Romano Imperio per varias provincias occupato, ipsum tandem Imperii nomen decusque in fines suos pertraheret.

CAP. VIII.

De variis Germaniæ Regnis, ac novissima ejus divisione.

CÆterum, liberis olim rebuspubl. Germani, inter Rhenum, Danubium, Vistulam & sinum Codanum, egerunt. principes tamen plerique suos habuere: quos falso nomine sæpe reges vocant Romani. Vltra sinum Codanum duo fuere. jam inde ingentia regna, Sitonum in Norvegia, & Sueonum in Suedia: quæ etiam nunc durant: nisi quod Norvagiorum Imperium translatum est ad Danos. His postea accesserunt Czechorum in Bojohæmo & Polonorum ad Vistulam amnem. At Saxonum, Duringorum, Francorum Orientalium, Suevorum ad fontes Danu-





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0179

Danubii, ac Bojoariorum, quæ iisdem fere tempestatibus orta fuerant, circa Caroli M. tempora abolita sunt. Hic, tandem Romanorum Imperio in Germaniam delato, in varias provincias atque Ducatus eam divisit; Norvagia, Suedia, Daniæque parte, trans mare Suevicum, ac Polonia cis Vistulam, jam tum à Germania avulsis. Hinc Germania in duas parteis, id est, in superiorem & inferiorem, divisa est. In Superiore sunt regiones istæ: Helvetia, Alsatia, Suevia, Wirtenbergensis Ducatus, Bavaria, Franconia, sive Francia Orientalis, Palatinatus Rheni, Bojohæmum, Moravia, Austria, Stiria, Carinthia, Carniola, Tirolis. In Inferiore, præter XVII provincias, quas vulgari nunc vocabulo vocant Belgium, sunt: Leodicensis Episcopatus, Lotharingia, Iuliacensis Ducatus, Colonienses, Treverensis, Moguntiacensis Archiepiscopatus; Clivia, Westfalia, Hassia, Duringia, Saxonia, Misnia, Lusatia, Silesia, Marchia Brandeburgensis, Pomerania, Meckelburgensis Ducatus, Holsatia. Helvetii, postquam ↃↃↃↃↃ prope annis in Germania, ac novissime sub Germanorum Imperio computati essent, jugo tandem imperii excusso, CCXX circiter annos libere agunt. Cæterum, Othone III imperante, (ut vulgaris opinio est) inter Germaniæ Principes conventum atque decretum fuit, ne quis, nisi Germanici nomi-

nis

nis Princeps, Rom. Imperator crearetur. Atque tum Septemviri constituti, quibus ob eligendi Imperatorem potestatem Electorum nomen inditum. Horum tres Ecclesiastici, iidemque Archiepiscopi, & Archicancellarii S. Imperii. Primus, Moguntiacus in Germania: Secundus, Colonienſis in Italia: Tertius, Treverensis in Gallia. Quatuor reliqui sunt seculares. Primus, Rex Bojohemiæ, pocillator: Secundus, Palatinus Rheni, dapifer: Tertius, Saxo, ensifer: Quartus, Marchio Brandeburgensis, cubicularius.

CAP. IX.

De Imperii Germanici provinciis, citra Rhenum in Gallico Solo sitis.

Leodicensis *Provincia*, Gall. *Liege*, super. German. *Lüttich*, infer. *Luyck*.

LEodicensis provincia, quamvis Belgicis undique cincta, tamen ad S. Imperium spectat, Colonienſi Episcopo subjecta. Caput ejus est Leodicum, urbs ampla & superba, magnificis ædificiis instructa; ob amœnitatem delitiasque varias paradisus sacerdotum nuncupata. *Huy*, nitidum cum arce opidum. *Bullion*, sui quondam juris Ducatus; nunc Leodicensi Episcopo subjectus; arcem habet ejus nominis munitissimam.

Duca-

Ducatus Iuliacensis, *Gulich.*

Caput Ducatus Iuliacensis, quod ei nomen dedit, est Iuliacum, opidum antiquum atque munitum. In Iuliacensi agro sita est urbs Aquæ Grani, sive, ut vulgo usurpatur, Aquisgranum; German. super. *Aach*, inferioribus *Aken*, Gallis *Aix* dicta; saluberrimis calidarum aquarum fontibus clara; Caroli M. primi Germanorum Imperatoris aula ac sepulchro insignis. Mos erat olim, Imperatores heic inaugurare sub corona ferrea in templo pendente.

Colonienſis Archiepiſcopatus.

Colonienſis Diœceſis veterum Vbiorum ad utramque Rheni ripam ſedes olim fuit. Ipſa urbs Colonia Agrippinenſis, ſeu, ut vulgo uſurpatur, *Colonia Agrippina*, Vbiorum caput, à Colonia, Agrippinæ Claudii Imperatoris uxoris auſpiciis deducta, nomen cognomento traxit. Vrbs nunc eſt Germaniarum maxima, Emporiumque ad Rhenum celeberrimum. Cæterum, libera eſt Imperii civitas. Bonna antiquum munitumque opidum, Archiepiſcopi Colonienſis, Electoris Imperii, ſedes.

Lotharingia, *Lottheringen.*

Lotharingiæ Ducatus à Lothario, Caroli M.

li M. nepote, nomen accepit, caput ejus quondam fuit Divodurum Mediomatricorum, vulgo *Metz*, libera Imperii civitas: at nunc Galliæ Rex eam tenet; una cum Viroduno, *Verdun*; & Tullo, *Toul*. Nansium, vulgo *Nansy*, sedes nunc Ducum & caput provinciæ, egregia munitaque urbs.

Austrasia, *Westreych*.

Austrasia complectitur Diœceses Treverensem & Moguntinam; item Ducatum Bipontinum, vulgo *Zweybrucken*, Comitatusque, *Sarbrucken*, *Leyningen*, *Bitsch*.

Treverensis Archiepiscopatus caput est Augusta Treverorum, vulgo *Trier*, Gallis *Treves*: urbs antiquitatem suam præ se ferens. Confluentes, *Coblentz*, urbs ad Rheni Mosellæque confluentes posita, haud exigui est momenti. Vitellicum, *Witlich*, Treverensis Archiepiscopi atque Electoris sedes.

Moguntini Archiepiscopatus caput est Moguntiacum, sive Moguntia, *Mentz*, urbs inter præclaras Germaniæ computata. At sedes Archiepiscopi Electorisque est trans Rhenum in Germanico solo, Asciburgii, *Aschburg*. Sunt præterea in Austrasia liberæ Imperii urbes; Wormatia, *vulgo Wormbs*: *Oppenheym*: & *Spira*, Iuridico totius Imperii conventu clara; Cameram Imperialem vulgo vocant. *Franckenthal*, nitidissimum est

à Belgis

à Belgis excultum opidum, Electori Palatino subditum.

Alsatia, *Elsaß.*

Alsatia Austriacæ ditionis regio, in duos Landtgraviatus, superiorem & inferiorem divisa est. In superiori opida sunt; Colmaria, Selestadium, Rufacum, haud ignobilia. Inferior habet; Tabernas, vulgo *Zabern*; & Hagenoam. Argentoratum in eodem tractu, vulgo *Straßburg*, in clarissimis Germaniæ civitatibus. turris, quæ est ad Cathedralem Ecclesiam, mirifica & magnifica structura; item armamentario instructissimo, maxime insignis est.

Montbeliard.

Est in confiniis Alsatiæ ac Burgundiæ Comitatus *Montbeliard*, German. *Mümpelgard*, Wirtembergensi Duci subjectus. opidum *Montbeliard* tutissimo munimento clarum est.

Cap. X.

Suevia, Franconia, Palatinatus Rheni.

Brisigavia, *Brisgavv.*

Prima trans Rhenum est Brisigavia regio, Elsatiæ quondam pars. Caput hujus Provinciæ est Friburgium, splendida atque amœna urbs; secunda est Brisiacum. *Breisach.*

Suevia,

Suevia, *Schvvaben.*

Suevia, vastæ quondam illius gentis exiguæ reliquiæ, ad supremam Danubii partem constitit. Vrbium hujus Ducatus prima est Augusta Vindelicorum, *Augsburg*, opulentissimum Emporium: urbs splendida inprimis & magnifica, munitione tuta, libera Imperii civitas. Vlma, munitissima & ipsa, simulque ditissima Imperii civitas, ædificiorum splendore facile finitimas præstat. Reliqua loca nobiliora sunt; *Nordlingen, Memmingen, Lindavv, Füessen, Rottvvijl*, ubi Iuridicus Imperii conventus est.

Wirtenbergensis Ducatus.

Wirtembergensis Ducatus, ab arce Wirtemberga cognominatus, pars erat Sueviæ; at quum nuper Ducatus factus sit, provincia seorsim censetur. Vrbes inibi claræ sunt, *Canstat*, mercatu celebris, *Stutgart*, Ducum sedes: Rotenburgium; quæque reliquas antestat, Tubinga.

Franconia, *sive* Francia Orientalis, *Franckenlandt.*

Dux est, qui & Episcopus, cognomine Herbipolitanus, ab Herbipoli, vulgo *Würtzburg*, capite provinciæ, dictus. Vrbs est inter primas præclara. At Francofurtum ad Mœnum

Mœnum libera imperii civitas, celeberrimis totius Europæ, nedum Germaniæ, nundinis nobilitatur. Bamberga Episcopali dignitate celebris urbs, centrum Germaniæ obsidere videtur. Est in Franconiensi agro Arx *Ansbach*, Marchionatus titulo gaudens.

Palatinatus Rheni, *die Pfaltz.*

Franconiæ quondam pars, nunc Palatinatus Rheni, caput habet provinciæ Heidelbergam, eandem Electorum Palatinorum sedem. Ad confluentes Rheni Nicrique Manhemium opidum munitissimum, provinciæ propugnaculum est. Est eodem tractu, inter Elsatiam & Palatinatum, Marchionatus Badensis, ab aquis totius Germaniæ celeberrimis cognominatus. Sedes Marchionis est Durlacum, opidum cum arce.

Cap. XI.

Palatinatus superior, Bavaria, Salisburgensis Archiepiscopatus, Tirolis Comitatus.

Nortgavia, *Nortgavv*; qui & Palatinatus Bavariæ, sive superior Palatinatus, *die Ober Pfaltz.*

Norimberga, *Nürnberg*, in confiniis Franconiæ, Sueviæ, ac Bavariæ posita, nullius Soli esse cupit. Vrbs est magnifica, splen-

splendida, potens ac totius Germaniæ superbissima. Caput Nortgaviæ nunc censetur Amberga. *Neuburg* & *Sultzbach* Principum Palatinorum sunt sedes. Est circa hæc loca Landtgraviatus Leuchtenbergicus, cujus sedes *Pfreimbt*. Est & Egra, *Eger*, libera Imperii civitas. Item Comitatus *Ellenbogen*, qui ad Bojohæmiam spectat.

Bavaria, *Baieren.*

Bavariæ Ducatus dividitur in Superiorem & Inferiorem. hic ad Ortum: ille ad Occasum spectat. In superiori sunt urbes claræ Monacum, *München*, Bucum sedes, omnium Germanicarum pulcherrima. Secunda est Ingolstadium: hanc sequitur Frisinga. In inferiori Augusta Tiberii, quod nomen illi falso tribuerunt olim fabulosi Grammatici; alias Ratisbona dicta, vulgo *Regensburg*, comitiis imperii, quæ heic haberi consueverunt, antiquitatum reliquiis, & ponte prælongo clara. Reliquæ memoratu dignæ sunt, Patavium, vulgo *Passavv*, *Landshut*, *Straubing*.

Salisburgiensis Archiepiscopatus.

Bavariæ pars est Salisburgiensis Archiepiscopatus cujus caput sedesque Archiepiscoporum Salisburgium, *Saltzburg*, urbs satis elegans.

Tirolis

Tirolis Comitatus.

Terioli, vulgo *Tyrol*, est arx, unde maximus Europæ Comitatus in ipsis Alpibus, in Germania Norici, in Italia Rhætiæ partem obtinens, nomen habet. Vrbes claræ sunt, Ænipons, vulgo *Inspruck*, quondam Comitum, nunc Austriæ Archiducum in his oris sedes. Tridentum, Italis *Trento*, Germanis *Trient*, concilio Oecumenico clara. Bolzanum, mercatus non incelebris. Brixia etiam, vulgo *Brixen*, nobilis in hoc tractu Episcopatus est.

CAP. XII.

Croatia, Vinidorum Marchia, Carniola, Carinthia, Stiria & Austria.

CRoatia, Marchia Vinidorum, Carniola, Carinthia, Stiria & Austria superior, quia hodie domui Austriacæ parent, in Germania hodie censentur; quum olim Pannoniæ portiones fuerint.

Croatia, & Vinidorum Marchia.

Croatia, Germ. *Krabaten*, regni titulo decora, & Vinidorum Marchia, Germ. *Windisch Marck*; nihil in se habent memoratu dignum. Cæterum incolæ utriusque sunt Slavonici generis. In Vinidorum tamen Marchia sunt etiam Germani.

Carniola, *Krain.*

Caput hujus Ducatus est opidum Lubiacum, *Laubach*, & Lubiana dictum. *Krainburg* locus est munitissimus. Celeia, *Cilly*, Comitatus titulo insignitur. Cæterum incolæ partim sunt Germani partim Slavi.

Carinthia, *Kernten.*

Ducatus hic Stiriæ Ducatui conjunctus, urbes insigniores habet, *Villach*, *Claghenfurt*, Ducum quondam sedem; *Volckmarck*, *S. Veit*, *Iudenburg*.

Stiria, *Steirmarck.*

Dividitur Stiria in superiorem atque inferiorem. In hac caput totius Stiriæ & sedes Archiducum Austriacorum, est Grætia, *Grätz*, admodum magnifica. Sunt præterea celebres, *Rackelspurg*, *Pettavv*, *Marpurg*: *Kermend*, *& Canisia* duo munitissima erant contra Turcarum irruptiones propugnacula; sed hoc jam superioribus annis Christianis ereptum est. In superiori Stiria urbs primaria est Muripons, *Pruck an der Mure.*

Austria, *Oost-reich.*

Vnicus totius Europæ Archiducatus est Austria, in Superiorem ac Inferiorem divisa. Inferior inter Danubium, Bojohæmiam, &

Tejam

Tejam flumen sita, urbem præcipuam habet *Krembs*. Superioris, quæ inter Danubium & Stiriam posita, caput est Vindoniana, sive, ut vulgo usurpatur, Vienna, *Wien*; urbs magnifica ac splendida, tutissimum in his oris contra Turcarum incursiones munimentum. Lincium, *Lintz*, nobile est ad Danubium Emporium.

CAP. XIII.

Bojohæmia, Moravia, Silesia, Lusatia.

BOjohæmiæ regnum, Germ. *Böhaimb*, montibus ac sylvis, ceu munitissimo vallo undique cinctum, ab initio incoluere Germanorum quidam: quibus pulsis Boij, Gallica gens, obsederunt; nomenque de suo regioni reliquerunt. Bojos pepulerunt Marcomanni, Germanica gens; hos, circa annum à nato Iesu IↃL, Slavonica gens, quæ etiam nunc tenet, Bojohæmi, *die Böhmen*, à solo quod occuparunt, Germanis dicti; at *Czechi* suo sibi patrio vocabulo nuncupantur. Principio adventus à ducibus populus regebatur; donec circa annum CIↃ LXXXVI Vratislaus primus Bojohæmiæ Rex crearetur. Hunc postea continua serie secuti sunt alii Reges, donec Regia stirpe prorsus exstincta, ad Austriacam domum regnum devolutum est. Regio ipsa est omnium rerum ad usum vitæ

humanæ neceſſariarum fertiliſſima ; argenti æriſq; metallis abundans : quibuſdam in locis etiam auri ſunt venæ. Vrbium clariſſima eſt Praga, regni caput, Regumque ſedes , totius Bojohæmiæ compendium: urbs ſane magnificentiſſima, ſuperbis ædificiis frequens,exteris nationibus adfluentiſſima. Secundum locum tenet *Pilſen*. Reliqua opida nobiliora ſunt *Kralovvihradetz* , Germanis *Königingrätz* ; *Kutnahora* , German. *Kuttenberg* ; *Nympurck*, German. *Limburg* ; *Tabor* , *Budieiovvice*, Germ. *Budvveiß* ; *Lanij*,Germ. *Laun* ; *Satetz*,Germ. *Satz* : *Litomierzitze*, German. *Leitmeritz* ; *Chomutovv* , Germ. *Commetavv* ; Thermæ Carolinæ,*Karlsbad*, ſaluberrimis aquis opidulum eſt celebratiſſimum.

Moravia, *Mâhren.*

Sub Bojohæmiæ regno cenſentur Moravia, Sileſia ac Luſatia. Moravia Marchionatus nomen habuit à flumine in Danubium exeunte, quod Plinius Morum , Tacitus Marum vocat. Gens incolit Slavonica, Germanis miſta. Vrbium clariſſima eſt *Olmitz*, Slavonice *Olomuce* ; caput regionis , elegans ac dives. *Brin & Znaim* inter ſplendidiſſimas haud poſtremæ. *Iglavv* & *Kremſier* , non negligenda opida.

Sileſia,

Silesia, German. *Schlesinghen & Schlesien.*

Silesiæ ampla ac dives regio, sub Ducatus titulo XVI Principatus in sese complectitur; quorum nomina sunt; *Bresslavv*, *Glogavv*, *Sagan*, *Schvveinitz*, *Lignitz*, *Briege*, *Neisse*, *Crossen*, *Teschen*, *Oppelen*, *Ratibor*, *Münsterberg*, *Troppe*, *Iaur*, *Olsse & Iägerndorff*. Poloniæ regibus subjecta fuit primum universa Silesia: postea circa annum CIↃ CCC. in Bohæmiæ Regum fidem se contulit, à quorum Imperio etiamnunc pendet. Vrbium Princeps est Vratislavia, Bojohæmis *Wratzlavv*. Germ. *Breslavv*, opulentissimum in his oris Emporium, splendida sane urbs, ac merito inter tres pulcherrimas Germaniæ (quarum alteræ Monacum & Lipsia) computata. Secunda ab hac est Glogovia cognomine Major, *Grooss Glogavv*. Sequuntur *hinc Sagan*, *Schvveinitz*, *Neisse*, *Lignitz*, *Briege*, *Olavv*, *Oppelen*, *Troppavv*, *Teschen*. Est præterea in his oris, inter Bojohæmiam & Silesiam, sui quondam juris Comitatus Glacensis, *Glatz*; cujus titulo, Comitum stirpe extincta, Bojohæmiæ Rex nunc gaudet.

Lusatia, *Laussnitz*.

Silesiæ ab Solis æstivi occasu contermina est Lusatia, Hexapolitano agro, *die Sechsstätte*,

ſtätte, à ſenario opidorum numero ſic appellata, clara. Nomina eorum ſunt, *Bautzen*, *Görlitz*, *Sittavv*, *Kamitz*, *Luben*, *Guben*. quorum tria priora ſatis lauta.

CAP. XIV.

Marchia Brandeburgienſis, Pomerania, Meckeloburgium, Holſatia.

Marchia Brandeburgienſis.

REgio hæc eſt ſpatioſa, ingentibus ſilvis, lacubuſque atque paludibus invia, ab opido Brandeburgio cognominata. Dividitur in duas potiſſimum parteis. Veterem ac Novam Marchiam. Veteris caput eſt *Brandeburg*. Novæ Francofurtum ad Oderam, celebris civitas, mercatu nobilis. Berlinum in medio Provinciæ ſitum, ſedes eſt Principum Electorum Brandeburgenſium; urbs amœniſſima. Coſtrinum, vulgo *Köſtrijn*, mirando munimento nobile opidum. Alterum munimentum eſt *Spandavv*, prope Berlinum. Cætero *Croſſen* Ducatus, qui antea in Sileſia cenſebatur, nunc Marchionibus Brandeburgenſibus paret.

Pomerania, *Pomern.*

Pomeraniæ Ducatus ſolo fertiliſſimo juxta litus maris Codani longo tractu expanditur, in ſeptem parteis, quarum quæque Ducatus

catus dignitate censetur; divisus. Nomina Ducatuum sunt, *Wenden*, *Stetin*, *Gütschkovv*, *Wolgast*, *Vsedom*, *Rügen*, *Bart*. Ex his *Rügen* & *Vsedom* sunt Insulæ. Caput Pomeraniæ est Stetinum, urbs haud exigui momenti, Emporiumque celebre. Sequuntur *Stralesond*, *Wolgast*, *Gripesvvold*; *Wollin*, celeberrimum quondam in his oris emporium; *Stargard*, *Colberg*, *Camin*, *Cöslin*, *Stolpe*, opida nobilia.

Meckelburgiensis *Ducatus*.

Meckelburgiensis Ducatus, quem vulgus Latinorum inepte Megalopolitanum adpellat, urbes habet claras Lubecam, *Lübeck*; Rostochium, *Rostock*; Vismariam, *Wismar*. Lubeca opulentissima quondam marique potentissima imperii civitas, nunc etiam Suedicis Moscoviticisque commerciis celeberrimum Emporium. Vrbs est ampla, splendida & magnifica.

Holsatia, *Holstein*.

Dividitur hæc regio in Holsatiam proprie dictam, & Ditmarsiam ac Slesovicensem Ducatum. Ditmarsi, *die Ditmersen*, libera nuper gens, nunc sub Danorum Regum imperio vicatim incolunt. Clarissima totius Holsatiæ urbs est Hamburgium, opulentissimum ad Albim flumen Emporium, quo adverso

naves ex variis mundi partibus adpellunt. *Kiel*, item, *Ekelnförde*, & *Husem*, nitida opida portusque celebres. In mediterraneis sunt *Flensburg*, *Rensburg*, & *Slesvvijck*. huic contigua fere arx *Gottorp*, Ducum sedes est.

Cap. XV.

Luneburgensis Ducatus, Bremensis Archiepiscopatus; Frisia Orientalis, Westfalia, Clivia & Montanus Ducatus.

Luneburgensis *Ducatus.*

DVcatus hic cognominatur à capite suo Luneburgio, *Luneburg* urbe lautissima, salis fontibus maxime clara. Cella, *Cell*, Ducum sedes est. *Danneberga*, Comitatus titulo decorata.

Bremensis *Archiepiscopatus.*

Bremensis Archiepiscopatus caput Brema est, *Bremen*, civitas egregia & magnifica, Emporiumque haud ignobile, Visurgi fluvio navium adpulsum commodante. *Stade*, opidum prope Albim, Anglorum, qui per universam Germaniam pannis negotiantur, celebre nuper fuit Emporium. *Vorde*, sive *Bremerforde*, arx cum vico, Archiepiscoporum Bremensium sedes est.

Frisia

Frisia *Orientalis.*

Frisia Orientalis, *Oost-Friesland*, alio nomine Comitatus Embdanus nuncupatur, à capite suo Emda, *Embden*; urbe haud equidem ampla; at portu celeberrimo. Auricum, *Aurick*, Comitum sedes est.

Westfalia, *Westfalen.*

Westfalia satis ampla regio, gregibus quam hominibus alendis benignior est; silvis horrida, ac paludibus crebris fœda, veterem illam Germaniam referre videtur. Episcopatibus & Comitatibus frequentibus distinguitur. Episcopatus sunt; Monasterienſis, Paderbornenſis, Mindenſis, Osnabrugienſis, Verdenſis. Monasterium, *Münster*, caput totius Westfaliæ, nobilis & magnifica civitas, in amœnissimis agris sita, annis superioribus Anabaptistarum lymphatico regno celebris. Secunda à Monasterio Westfalicarum est Susatum, *Soest*, nulla re, quam amplitudine sua clara. Deinde Tremonia, *Dortmund*, *Minden*, *Osenbrugge*, *Paderborn*, cultorum frequentes sunt urbes. Comitatus nobiliores sunt, *Marck*, *Oldenburg*, *Delmenhorst*, *Benthem*, *Arnsberg*, *Lingen*, *Teckelenburg*, *Waldeck*, *&c. Lingen* opidum est munitissimum.

Clivia, *Cleve.*

Clivia, ad utramque Rheni ripam porrecta, à *Clivis* capite totius Ducatus, cognominatur: junctaque est Iuliacensi Ducatui. Colles sive Clivi, in quibus condita, nomen urbi præbuisse, vulgo putantur. At clarissima omnium est Vesalia, *Wesel*, secunda Emericum, *Emmerick*; *Santen*, antiquitatum Romanarum reliquiis priscam originem claritatemque indicat. *Möurs* Comitatus titulo insignitum opidum, munimine maxime clarum est.

Montensis *Ducatus.*

Montensis Ducatus Clivensi Ducatui conterminus est, vulgo *Berg*, cujus caput *Düsseldorp*, opidum cum arce, Ducum Iuliaci, Cliviæ & Bergæ sedes.

CAP. XVI.

Hassia, Wetteravia, Buchovia, Thuringia.

Hassia, *Hessen.*

HAssia Landtgraviatus, Comitatus in se habet nobiles hos, *Zigenhaim* & *Nidda*; caput provinciæ est Castellum Cattorum, sive, ut vulgo nunc usurpatur, Cassella, *Cassel*; lauta sane civitas cum splendida arce, Landgra-

graviorum ſedes. Secunda eſt *Marpurgium*, literarum ſtudiis maxime clara. *Gieſſen* munitiſſimum totius Provinciæ opidum.

Wetteravia, *Wetteravv.*

Inter Haſſiam ac Rhenum fluvium eſt Wetteravia, regio, quam maxime nobilitat nobiliſſimus Comitatus Naſſovicus; unde decus illud gentis, Belgicæ fœderatæ munimen ac gloria, Princeps Mauritius originem ducit.

Buchovia, *Buchovv.*

Inter Haſſiam, Franconiam atque Thuringiam media ſita eſt regio Buchovia, cujus caput *Fulda*, opidum celebre, præſtantiſſima Europæ, nedum Germaniæ, Abbatia inſignitum.

Thuringia, *Düringen.*

Thuringiæ Landgraviatus omnium nobiliſſimus, inter Salam Viſurgimque amneis protenſus, familiæ Saxonicæ paret. Caput regionis eſt Erfordia. *Erfurt*, ingens urbs, & quaſi compendium totius provinciæ. Academia quondam clara: & Vinaria, *Weimar*, Principum ſedes; urbs eſt amœniſſima. *Gotha* cum diruta arce *Grimmenſteyn*, Auguſti Electoris obſidio arciſque everſione clara eſt. *Iena* Muſarum eſt domicilium. Iſenacum, *Eiſenach*, Ducum ſedes eſt.

Præterea est in hac provincia Ducatus Coburgiensis, cujus caput *Coburgium*, urbs cum egregia arce, Ducum sede. Item Comitatus Svvartzeburgiensis, cujus caput *Arnstad*, haud spernendum opidum.

CAP. XVII.

Misnia, Saxonia, Brunsvicensis Ducatus.

Misnia, *Meissen.*

MIsniæ Marchionatus, Ducum Saxoniæ domicilium, agro amœnissimo, argenti venis ditissima, urbibus splendidissima est regio. Vrbium quondam prima erat Misna ad Albim amnem sita, unde Provinciæ nomen: at nunc clarissima omnium est Lipsia, *Leipzig*, haud ita magna, verum ædificiorum nitorem; incolarum mores, agri circumjecti amœnitatem si spectes, nihil adeo festivum in tota Germania reperiri posse credas; nundinis, quæ hic ter in anno habentur, post Francofurtum ad Mœnum, celeberrima. major est Noviburgium, *Naumburg*, at minus splendida, & ipsa nundinis celebris. Dresda, *Dresden*, urbs est cum arce magnificentissima, Ducum Electorum sedes. Celebrantur hic maxime pons super Albim, Stabulum equorum, armamentarium, & quod incolæ vocant *die Kunst-kammer*; ubi notatu digna visuntur plurima. *Freiberg*, *Annaberg*, *Mariaberg*,

berg, argenti metallis fœcunda opida. *Weissenfels*, *Zwvicka*, *Zeitz*, *Chemnitz*, *Torga*, *Iochims-thal*, haud contemnenda opida: quorum postremum est feudum regni Bojohæmiæ. Est præterea in Misnico agro Principatus Snebergensis, ab opido arceque *Sneberg* cognominatus; cui conjunctus est Comitatus *Hennebergensis*. *Aldenburgium* Ducum sedes est. Misnicæ etiam ditionis est *Voytlandia*, cujus caput est opidum *Hoff*, satis nobile.

Saxonia, *Sachsen*.

Saxoniæ Ducatus ad utramque Albis fluvii ripam est, in varias ditiones discerptus. Vrbium clarissima amplissimaq; est Magdeburgium, *Meyburg*, Burchgraviatus S. Imperii, & Archiepiscopatus titulo maxime insignis.

Wittenberga opidum nitidum ac munitum, Ducum Saxoniæ quondam sedes, Martini Lutheri Theologica professione maxime clara. Halla, vulgo *Hall in Sachsen*, elegans urbs, salis coctione maxime celebris. Est in Saxonia, sui juris Principatus Anhaltinus, ab arce *Anhalt* ita cognominatus; huic subsunt duo Comitatus, *Ascanien* & *Barbi*, Baronatusque *Bernburg*. *Dessavv*, Principum sedes, urbs est lauta. hac quidem major est Servesta, *Zerbst*, at minus polita. Est in eadem Saxonia clarissimus omnium Comitatus Mansfeldicus, ab opido *Mansfeld* denomi-

natus, quatuor alios intra se Comitatus includens.

Brunsvicensis Ducatus; *Brunsvvick.*

Caput est, unde Ducatui nomen *Brunsvicum*, libertate imperii fruens; urbs dives ac probe munita, fortissimâ contra Ducum Brunsvicensium crebras obsidiones defensione maxime nobilis. Secundum locum obtinet *Halberstadium*, inde *Hyldesheim*, *Hannover*, *Goslar*, *Helmstad*, haud spernenda opida. *Wolfenbüttel*, arce munitissima, Ducum sedes est.

CAP. XVIII.

De Archiepiscopatibus & Academiis Germaniæ.

ARchiepiscopatus in Germania sunt VII: Moguntinus, Colonienſis, Treverensis, Magdeburgiensis, Salisburgiensis, Bremensis & Pragensis. Episcopatuum in tam vasta regione incertus est numerus. Præcipui sunt: Herbipolitanus, Bambergensis, Argentoratensis, Spirensis, Leodicensis, Monasterienſis, Paderbornensis, Hildesheimensis, Mindensis, Osnabrugiensis, Verdensis, Halberstadiensis, Hallensis in Saxonia, Vratislavienſis, &c.

Academiæ illustres sunt; Basileæ, Friburgii in Brisgavia, Argentorati, Heidelbergæ, Tubingæ,




Cronium Mare
DANIA, SVECIA et NORVEGIA
OCEANUS
AMALCHIUM MARE.
SEPTENTRIO-
NALIS.
Vulgo Mare Merimarysse Die Noord See
OCEANUS GERMANICUS.
BOTHNICUS SINUS
Sinus Finnicus
MARE BALTICUM
Vulgo die Oost See
LAPPIONES
DICKILOPPI
FINNONES
Marc Album.
CAIANIA
GOTHIA
SVECIA
NORVEGIA
DALECARLIA
GESTRICIA
HELSINGIA
HEMPTRIA
SUDERMANNIA
UPLANDIA
NERICIA
GUTHIA
SCHONEN
HALLANDIA
SMALANDIA
BLEKINGIA
DANIA
HOLSATIA
ANGLI
POMERANIA
VARNI
RUGII
LIVONIA
ESTONIA
LETTEN
CURLANDIA
SAMOGETIA
LITUANIA
PRUSSIA
Ladoga Lacus
Onega Lacus
IGERMA
Nerva
Kola
Kemi
Tornea
Stockholm
Upsala
Calmar
Elsenor
Lubeck
Hamburg
Bremen
Dantzig
Memel
Riga
Revel
Narva
Pleskow
Smolensko
Wilna
Grodecznen



bingæ, Ingolstadii, Altorfensis, Pragæ, Viennç, Francofurti ad Oderam, Gripsvvoldiæ, Rostochii, Helmstadii, Wittembergæ, Lipsiæ, Ienæ, Erfordiæ, Marpurgii, Giessæ, Coloniæ.

Cap. XIX.

Daniæ Regnum.

DAnia nomen habet à Danis, sive Codanis populis, qui & Teutoni olim dicti fuere. Codano sinu, sive mari Suevico, in plures secatur portiones. Partem ejus cis sinum in Germaniæ continenti sitam, Cimbricam peninsulam Romanam vocitatam, ante diximus. Cimbri ab initio incoluere: postea Iutæ, unde regioni nomen in hunc usque diem, *Iütlandt*, præter unum opidum *Flensborg*, nihil clarum habens. Alteram partem, trans sinum sitam, veteres insulam putarunt esse, nomine Scandinaviam, sive Scandiam; at continentem esse, una cum Suedia, & Norvagia, satis nunc constat. Dividitur in tres partes; *Halland*, & *Scanen* & *Bleicking*. Vrbes in ea, seu potius opidula, litori prætensa, sunt, *Elleboge*, *Lands-kroon*, & *Elzenborg*, freto Danico, quod vulgo dicitur *der Sondt*, adpositum. In mediterraneis est *Londen*, Archiepiscopali sede decoratum. Tertia pars regni in insulis dispersa medium situm obsidet. In his Codanonia, ab ipsis incolis Codanis,

danis, qui alio nomine fuere Teutoni, veteribus sic dicta, nunc *Seelandia*, ut magnitudine sic fœcunditate alias antestat. In hac totius regni caput Hafnia, vulgo incolis *Cöpenhafen*, & *Copinghafen*, German. *Copenhaven* & *Kopenhagen*, celebre Emporium Regumque sedes. *Elsenöre* celebris ad dictum fretum navium adpulsu locus est: hic namque vectigal Regibus à transeuntibus navibus penditur. Contigua est splendidissima & munitissima arx *Cronenburg*, contra vim ex Oceano vel ipso sinu irruentium exstructa. In mediterraneis est *Rotschil*, dives quondam urbs, nunc opidum Regum sepulchris clarum. *Fredrichsborg*, arx in amœnissimo agro condita, Regum secessibus frequentatur.

Est præterea in hoc sinu insula *Bornholm*, hacque multo major Gothia, vulgo *Gottland*, saxo albo ad exstruenda ædificia utilis, utraque Daniæ regno submissa.

Cap. XX.

Norvagia, Finnomarchia, Islandia, Gronlandia, Frieslandia.

Norvagia.

NOrvagia, vulgo incolis *Norrige*, & contracte *Norge*; Germ. *Noortvvegen*, & *Norvvegen*, (Timæo apud Plinium Nerigon, qui insulam omnium Septemtrionalium maximam

ximam falso credidit) nomen à situ accepit : quidpe *Nort* German. est quod Latinis Septemtrio. Sevone monte Orientale ejus latus, Meridionale sinus Codani faucibus & Oceano, Occiduum eodem Oceano claditur : à Septemtrione Finnomarchia ei obtenditur. Terra ipsa vasta, sed maxime aspera, saxoque sterili aut sylvis ingentibus horrida. Antiquissimi Sitones incoluisse traduntur. Postmodo potens Norvagiorum in Danos etiam & Frisios imperium fuit : at nunc ipsi Daniæ regibus parent. Vrbes in ea sunt, Nidrosia, vulgo *Drunthem*, caput regni, Regumque quondam sedes, ubi superbissimi olim totius Septemtrionis templi rudera visuntur. Bergi, vulgo *Bergen*, celeberrimum in his oris Emporium : prædicto Timæo pro insula memoratur. Hinc est *Anslo* sive *Opslo*, haud ignobile Emporium.

Finnorum Marchia.

Norvagiæ ab Septemtrionibus continuatur Finnomarchia, satis ampla & ipsa regio, duobus diversis imperiis in duas partes distracta. Pars Meridionalis Daniæ : Septemtrionalis Suediæ regno subjecta est.

Islandia.

A Norvagiæ littore in occasum versus ad CL mill. German. navigantibus occurrit in Oceano

Oceano Hyperboreo insula Britannicarum olim ultima, Thule; vulgo nunc *Island*, ab immensis frigoribus & perpetua glacie, quibus damnata est, sic dicta; magnitudine sua, Melitæis catellis, & monte Hecla, perpetuum ignem eructante, maxime clara: De cætero Daniæ regibus subjecta.

Gronia.

Islandiæ ab occasu æstivo proxime objacet Gronia, vulgo *Groenland*: immenso terrarum spatio, incertum insula an continens terra sit cum Americæ terris; quibus propinquior longe quam Europæ. Imperium in litora hactenus cognita sibi vendicarunt Daniæ Reges. Balænarum captura regio maxime nobilitatur.

Friesiandia.

A meridie eidem Islandiæ opposita est insula *Friesland*; & ipsa à frigoribus ac perpetua fere hyeme nomen habens, nulla re alia Regibus Angliæ, quibus paret, quam piscium captura utilis.

Cap. XXI.

Suedia, Botnia, Scrickfinnea, Lappia, Finnia.

Svedia.

At in Continenti rursus Norvagiæ Daniæque regnis jungitur Suedia, continua certaque serie antiquissimum in orbe terrarum regnum; quod semper Suiones sive Sueones incoluere. Clauditur ab Ortu, Finnico sinu, Codanoque mari: à Meridie Daniæ confinio: ab Occasu Sevonis immensi montis jugo à Norvagia submovetur: à Septemtrione est Botnia. Pars regni Australis antiquo nomine Guthia, vulgo *Gutland* vocatur, reliquis partibus longe celebrior lætiorque. Caput regni universi Regumque sedes est *Stockholm*; urbs posita in stagnis marinis, palis superstructa; unde etiam nomen traxit, natura operibusque munitissima. Emporiumque celeberrimum. Secunda est *Upsalia*, Academia Archiepiscopatuque insignis. *Calmar* in confiniis Daniæ, cum arce validissima, urbs est satis magna, portusque celebris. Est item *Nicopen*, munitum opidum Emporiumque clarum.

Botnia.

Botniam sinus Botnicus in duas secat partes

tes, Orientalem & Occidentalem. Nihil in ea notatu dignum præter Emporium *Torniam* ad intimum sinus recessum situm.

Scrickfinnia.

Supra Botniam Scrikfinni sive Scritfinni incolunt, una cum Botnis, Suediæ regibus subjecti.

Lappia.

Hinc versus Orientem in extimo veteris Germaniæ angulo Lappia, vulgo *Lappenland*, & incolæ ejus Germanis *Lappen*, Russis *Loppi*; in duo genera distincti. Occidentales Suediæ regibus parent. Orientales Russico vocabulo *Dickiloppi*, id est, feri Lappones, magno Moscoviæ Duci subjecti sunt.

Finnia.

Infra Lappiam Botniamque versus Meridiem est Finnia, inter Botnicum Finnicumque sinum posita. Plinio Fenningia, (qui insulam esse credidit,) vulgo nunc *Finland*, dicta; haud parva Suedici Imperii portio, fertilis arvis, pascuisque læta. Vrbium clarissimæ sunt: *Abo* Episcopalis sedes, ac *Viburgium* in intimo sinus Finnici recessu nobile Emporium.

CAP.

Cap. XXII.

De Italia *& variis ejus nominibus.*

EXplicatis veteris novæq; Germaniæ partibus, commodissimus nunc videtur locus, à Septemtrionibus versus meridiem pedem referre, ac transgressis hinc Alpium jugis Italiam introspicere. Quin pigeat, quæ omnium dignitate prima erat, eam posteriore loco dici: quidpe terra olim fuit omnium terrarum alumna simul & parens; divina providentia electa, quæ sparsa congregaret imperia, rituque molliret; & tot populorum discordes feraque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Iam vero locorum salubritatem, cœli temperiem, aprica collium, opaca nemorum, tantam frugum & vitium olearumque fertilitatem, pecorum fœcunditatem, tam innoxios saltus, tot munifica silvarum genera, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertatem, colonias tam frequenteis, tam adsiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus veterum opidorum, virorum denique ingenia, mores ac ritus, linguaque ac manu res gestas si reputes; nihil toto orbe terrarum commemores quod huic conferri, nedumpræferri, queat.

Nomen

Nomen unde sortita sit, varie auctores tradunt. alii quidpe à bobus, quorum magnitudine pulchritudineque fœcunda est, vocitatam Italiam existimant: nam ἰταλὸς veteri sua lingua dixisse Græcos, quos Latini Tauros: alii verius ab Italo, Rege Siculorum; qui primum agrum Sabinorum & Latium incoluere, hanc terrarum partem adpellatam tradunt Italiam: quod postea nomen in totam terram, inter Alpeis & Siculum fretum, transiit. Hesperia etiam dicta fuit Græcis, à vespertino sidere Hespero; quia illis in occasum sita erat. Saturnia, Ausonia, Oenotria, Latium, quanquam ab antiquissimis Græcis, postea etiam à Latinis poëtis pro universa Italia ponantur, partium duntaxat fuere nomina.

Cæterum natura Imperio Romano prospiciens, mari Supero Inferoque & altissimis Alpium jugis, ceu firmissimo vallo, fossaque latissima totam undique cinxit.

Terminos igitur habet à Septemtrionibus Alpes; ab Ortu Arsiam Histriæ flumen & mare Superum, qui & Hadriaticus sinus dicitur: à Meridie mare Infernum sive Tuscum; ab occasu iterum Alpeis & Varum amnem.

Longitudo ejus summa est ab Alpino fine Augustæ Prætoriæ, quæ vulgo nunc *Aosta*, per urbem Romam Capuamque meante cursu ad Rhegium opidum & Leucopetram promonto-


ITALIA.
HELVETII.
Norici pars.
GALLIÆ PARS.
ILLYRIS.
Mare Superum, sive HADRIATICUM.
MARE
LIGUSTICUM
Mare Inferum
sive,
ETRUSCUM.
AFRICÆ PARS.



montorium, quod vulgo, *Capo del l'Arme*, millium passuum Iɔcccc, id est, mill. German. ccxxv. Latitudo varia est. at subter Alpes millium passuum, Iɔlx, id est, mill. German. cxl. medio cursu inter Anconam & ostia Tiberina millia passuum cxxxvi, id est, mill. German. xxxiv. Veteres querno folio eam assimilarunt, at nostri ævi homines cruri humano.

Cap. XXIII.

De divisione veteris Italiæ.

Divisa fuit olim Italia aliter aliis subinde temporibus; prout gentium migrationes finiumque commutationes factæ sunt. Nos eam maxime divisionem sequemur, quæ sub primis Romanorum Imperatoribus fuit.

Postquam Gallorum inter Oceanum, Rhenum, Alpes, Internum mare & Pyrenæos montes incolentium, ingens multitudo, variæque nationes trans Alpeis profectæ, eam Italiæ partem obsederunt, quæ inter Alpeis & Apenninum ad Æsum usque flumen, prope Anconam porrecta est; Gallia hæc Romanis dicta est Italica: item Gallia citerior, & Cisalpina, item Gallia Circumpadana, & Togata à toga Romana, quia vestitum ritusque Romanorum assumserat: quum trans Alpeis ulterior Gallia diceretur Comata, à co-

ma

ma seu cæsarie, quam incolæ ejus alebant: pars autem Transalpinæ Galliæ à Braccis, femorum tegumento, Braccata; quæ eadem Narbonensis provincia. Sed sub eadem Galliæ Togatæ provincia comprehendebantur etiam alii populi; ut ad mare Inferum, Ligures; ad Superum, Veneti, Carni, Histri; in Alpibus, Taurini, Salassi, Lepontii, Euganei: & qui postea Provinciam per se una cum Transalpinis populis, Vindelicis atque Noricis conficiebant, Rhæti. Post Galliam Togatam primi sequebantur sub Apennino Etrusci, sive Tusci: ultra hos ad utrumque Apennini latus Vmbri: Infra hos Sabini ac Latini, Æqui, Volsci, atque Hernici: Iuxta Vmbros ad mare Superum erant Picentes; dein Marrucini, Vestini, Frentani, Peligni, Marsi: ultra hos in mediterraneo Samnites & Hirpini: infra Samnites ad mare Inferum Campani; mox Picentini. Frentanis Hirpinisque jungebantur Apuli. inde Calabri & Sallentini lævum Italiæ cornu insidebant. Sub Apulis erant Lucani, ad utrumque mare. Sub his in dextro cornu & extimo Italiæ angulo erant Brutii.

CAP.


LIGURES.
TAURINI, etc.
item
Rhætiæ Pars.
HELVETII.
RHAETIA.
MARE
LIGVSTICUM.
Centrones.
Ebrodunii.
Verucini.
Tricasini.
Almanes.
Ruguſci.
Suaneti.
Viberi.
Centomani.
Salas.
Ideonni Regnum.
Catvrigenas.
Vocontii.
Ovariates.
Senthi.
Advnci.
Nerusii.
Lepontii.
Cerdicates.
Satiknii.
Lyes.
Segalaunni.
Cavares.
Allobroges.

Cap. XXIV.

Ligures, Taurini, Cottii & Ideonni regna, Salassi, Lepontij, Euganei, Rhati, Veneti, Carni, Histri.

LIguria inter Varum & Macram amneis, mareque Ligusticum & Padum fluvium ad Placentiam usque porrecta, caput gentis Ligurum habuit Genuam, vulgo nunc *Genova*. Reliqua inde opida clara fuere in ora maritima, Nicæa & portus Herculis. Monœci à Græcis Massilienſibus condita; inde Liguſtica opida Albium Intemelium, & Albium Ingaunum, quæ vulgo contracte dicebantur Albintemelium, Albingaunum, nunc *Vintimilia & Albenga*. Hinc Vada Sabatia, nunc *Savona*. Intus fuere Pollentia, Alba Pompeja, Asta, Aquæ Statiellæ, Dertona, Iria, quæ vulgo nunc dicuntur, *Polenza, Alba, Acte, Acqui* ſive *Aich, Tortona, Voghera*.

Liguribus jungebantur Taurini inter Padi lævam ripam, Alpium radices & Orgum fluvium. Caput gentis olim Augusta Taurinorum, nunc vulgo *Turino*.

His finitimi erant Cottii & Ideonni Regulorum regna in Alpibus. Cottiani regni caput fuit Seguſio, ſive Seguſium, nunc *Susa*.

His iterum continuabantur Salaſſi, in val-

le quam Duria amnis mediam secat. Horum caput Augusta Prætoria, nunc vulgo *Aosta*; inde Eporedia, nunc *Invréa*.

Salassis contermini erant porro Lepontii, circa lacum Verbanum, vulgo nunc *Lago Maggiore*, & flumina quæ is recipit. Caput fuit Oscela, vulgo nunc ad Tosam amnem *Domo d'Oscela*.

Lepontios sequebantur in Alpibus Euganei inter Larium sive Comensem Lacum & Athesim fluvium. horum opida fuere Anaunia, sive Anonium, Sarraca & Vannia, vulgo nunc *Castel Nân*, sive *Nón*; *Sarca* & *Cividâ* ad Ollium fluvium, dein Clavenna; & item Telium in Valle Tellina. Nobilissimi Euganeorum populi fuere Sarunetes in vallibus Clavennensi & Tellina; Vennones; ad ortus Athesis amnis; Camuni, nunc *Val Camonica*; ad Ollium fluvium Triumplini, sive Trumplini, nunc *Val Troppia* ad Melam amnem. Supra Euganeos fuere Rhæti, Duce Rhæto ex Tuscis, quum hi pellerentur Circumpadana regione à Gallis, orti. Fines habuere à Rheni fontibus ad fontes usque Dravi amnis, in Danubium defluentis. Caput eorum Tridentum, nunc vulgo, *Trento*. reliqua opida clariora; Curia vulgo nunc *Chûr*, Italis *Coirat* Feltria, Belunum, nunc *Feltre*, *Belluno*. At Verona celeberrima omni ævo urbs, ab Euganeis simul & Rhætis condita fuit.

Rhætis


HISTRI, CARNI, VENETI, item RHÆTIÆ PARS.
MARIS SUPERI, sive HADRIATICI SINUS PARS.
RHÆTIA
NORICI PARS
CARNIA
PANNONIÆ PARS.
VENETIA
GALLIA CISPADANA.
ETRURIÆ PARS
Alpes Tridentinæ
Venetia
Ravenna
Spina
Aquileia
Padua
Verona
Mantua
Brixia
Bononia
Ariminum
Pisaurum
Pisæ
Luca
Arretium
Tiferum
Setinum
Ancona
Apennnus
Ticinus
Adda
Mincius
Athesis
Tagliamento
Sagis fl.
Crustumius fl.
Rubicon amnis
Arnus fl.
Tiber
Mons Silicis
Pontus Adriaticus
Sinus Tergestinus
Istria
Pullariæ Insulæ
Histrorum Insulæ
Tarsatica
Flanatica
Pannonia
Norica
Celeia
Emona
Tergeste
Iulium
Forum Iulii
Aquileia
Concordia
Opitergium
Patavium
Gradiscia
Cremona
Placentia
Parma
Mutina
Bononia
Ariminum
Ravenna
Faventia
Forum Cornelii
Forum Livii
Forum Sempronii
Fanum Fortunæ
Senogallia
Ancona
Firmum
Asculum
Castrum Novum
Castrum Truentinum
Interamnium
Spoletium
Narnia
Nuceria
Vulturnus
Volturnus
Liguras
Apuani
Lucus Feronia
Pisæ
Pyrgi
Tarquinii
Cosa
Vetulonia
Populonia
Volaterræ
Cære
Falerii
Veii
Ostia
Tibur
Tusculum
Lanuvium
Antium
Ostia
Tarentum
Brundusium
Salernum
Neapolis
Capua
Cumæ
Puteoli
Baiæ
Misenum
Cajeta
Formiæ
Minturnæ
Sinuessa
Teanum
Aquinum
Arpinum
Fregellæ
Fabrateria
Anagnia
Alba
Tarquinii
Ostia
Tibur
Tusculum
Lanuvium
Antium
Ostia
Tarentum
Brundusium
Salernum
Neapolis
Capua
Cumæ
Puteoli
Baiæ
Misenum
Cajeta
Formiæ
Minturnæ
Sinuessa
Teanum
Aquinum
Arpinum
Fregellæ
Fabrateria
Anagnia
Alba
Tarquinii
Ostia
Tibur
Tusculum
Lanuvium
Antium
Ostia
Tarentum
Brundusium
Salernum
Neapolis
Capua
Cumæ
Puteoli
Baiæ
Misenum
Cajeta
Formiæ
Minturnæ
Sinuessa
Teanum
Aquinum
Arpinum
Fregellæ
Fabrateria
Anagnia
Alba

Rhætis ab ortu Solis proximi fuere Veneti ; quos fabulosa Græcorum antiquitas ex Paphlagonum ad Pontum Euxinum gente, Duce Antenore à Trojæ excidio huc deduxit. Alii verius Illyricum fecere populum. Euganeorum, qui inde in Alpeis secessêrunt, occuparunt agrum ad mare Hadriaticum, inter Padum amnem & Timavi fonteis. Caput Venetorum Patavium, nunc *Padoua*, ab Antenore Trojano conditum vel auctum. Inde opida celebria, Atria sive Adria, nunc *Adri*, à Tuscis quondam conditum ; unde mari seu sinui Adriatico cognomen : tum Atestе, nunc *Estе :* Vicentia nunc *Vicenza* ; & Altinum, ex quo præter nomen & tenuia quædam ruinarum vestigia apud Silim fluvium nihil nunc reliquum est. Hinc sequebantur Tarvisium, Opitergium ; nunc *Trevisо & Oderzo :* & Concordia, cujus nomen manet.

Reliquam hinc Euganeorum seu Venetorum oram ad Formionem usque amnem, qui nunc *Risano* est, apud opidum *Capo d'Istria*, Carnorum postea obtinuit populus. Vrbs heic, quondam potens atque ingens inter primas Italiæ, Aquileia, nunc *Aquiléa*, deserta plane. Inde clara opida, Forum Iulii, nunc vulgo *Cividád di Friuli*, Iulium Carnicum, nunc *Zuglio*, in ruinis inter Tilavemptum fluvium & Alpeis: Vedinum, vulgo

Germanis nunc *Weiden*, Italis *Vdene*. Circa Venzonum Noreia fuit Tauriſcorum urbs, qui inde poſtea Norici trans Alpeis dicti. Tergeſte item, vulgo nunc *Trieſte*, clara olim Hiſtrorum primum urbs, poſt Romanorum fuit colonia, Carnorum provinciæ attributa. Sed inprimis celebratus in hac ora fuit Græcis pariter ac Latinis monumentis Timavus amnis, inter Aquilejam & Tergeſte, ſeptem capitibus exoriens, uno oſtio poſt mille haud amplius paſſus in mare emiſſus.

Poſt Carnos igitur eſt Hiſtria, & populi Hiſtri. Regio ceu peninſula inter Formionem & Arſiam amneis in mare procurrit. Caput gentis fuit Pola, à Colchis, Iaſonem & Medeam perſequentibus, olim condita. Inde celebria opida, Parentium & Ægida, nunc *Parenzo & Cabo d'Iſtria*: item Neſactium ad Arſiam fluvium, nunc *Caſtel Nuovo*.

CAP. XXV.

De Gallis Cisalpinis.

GAllicæ gentes trans Padum fuere, Libici, Lævi, Inſubres, Orobii, Cenomani. Libicorum caput fuere Vercellæ, nunc *Vercelli* Lævorum Ticinum, nunc *Pavia*; eorundem fuit Novaria, nunc *Novara*. Inſubres omnium Gallicarum in Italia gentium fuere validiſſimi. Caput eorum Mediolanum, vulgo

go nunc Italis *Milan*, German. *Meyland.* Opida hinc clara; Laus Pompeja, nunc *Lodi*; Forum Diuguntorum, nunc *Crema*; Moguntiacum sive Modicia, nunc *Monza*. Orobiorum fuere Comum, Bergomum, Forum Licinii, nunc vulgo *Como*, *Bergamo*, *Berlasina*. Vltra Insubres Orobiosque incoluere ad Venetiam usque Cenomani; quorum caput Brixia, nunc *Brescia*, sive *Bressa*. Præterea celeberrimæ urbes, Cremona & Mantua, à Tuscis quondam condita. At cis Padum Gallici populi fuere Ananes, Boji, Senones. Ananes Liguriæ continuabantur circa Placentiam Romanorum coloniam, vulgo nunc *Piacenza*. Inde sequebantur Boji, secundum Insubres maxima potentissimaque Gallorum Italicorum gens. Caput eorum fuit Bononia, nunc vulgo *Bologna*; Felsina ante dicta, cum caput Hetruscorum esset. Inde opida nobilia; Parma, Brixellum, Regium Lepidi, Mutina, Forum Cornelii, Faventia, Forum Livii; quæ nunc vulgo, *Parma*, *Brissello*, *Reggio*, *Modena*, *Imola*, *Faënza*, *Forli*. Postremi Gallorum in Italia fuere Senones, inter Ravennam & Æsim flumen, quod nunc *Iesi*, prope Anconam, partem Vmbrorum agri incolentes. Caput heic gentis constituere Senam Gallicam, sive Senogalliam, vulgo *Sinigaglia*. Reliqua hujus oræ opida in Vmbris dicemus.

Cap. XXVI.

Etruria & Vmbria.

GAlliæ Togatæ jungebatur à meridie Etruria, sub Apennino monte. ejus incolæ Etrusci sive Tusci ; Græcis Tyrrheni dicti. Sed horum prima sedes fuit, ut ante dictum, trans Apenninum, ab utraque Padi ripa; unde à Gallis expulsi, intra Apenninum, mare Inferum & Tiberim Macramque amneis consederunt, duodecim urbibus, totidemque Principatibus inter se constitutis. Vrbium nomina hæc sunt ; Veii, Volsinii, Clusium, Perusia, Crotona, Aretium, Falerii, Volaterræ, Vetulonii, Rusellæ, Tarquinii, Cære. Ex his hodieque extant, nominaque vulgaria habent ista ; *Bolsena, Chiusi, Perugia, Cortona, Arezzo, Città Castellana, Volterra, Cerveteri.* Reliquarum Veii ad XII lapidem ab urbe Roma fuere, circa opidum nunc *Scrofano*; Vetulonii fuere prope litus inter *Plombinum* & *Massam* opida ; vulgo nunc dicitur *Bagni di Roselle*, id est, Aquæ Rosellarum. Tarquiniorum vestigia jacent supra Cornetum opidum.

Celebres præterea urbes in Etruria fuerunt in littore ; Luna trans Macram fluv. sed Etruscorum tamen opidum, portu nobile, nunc *l'Erici* ; inde Pisæ, nunc *Pisa* ; Portus Libur-




MARIS HADRIATICI
PARS
LIGO NUM PARS.
Apenninus Mons
Sapinia tribus.
ETRU RIA.
MARE
TUSCUM;
ETRUSCUM.
PICE NUM
BINI
LATI
AEQUI
AUSONES.
ETRURIA, LATIUM, UMBRIA. etc.



Liburnus, sive Hercules Liburnus, nunc *Livorno:* Populonia, cujus vestigia exstant prope *Plombinum:* Telamon, nunc *Telamone*; Cosa, nunc *Ansidonia:* Graviscæ, quondam infra Cornetum; Centum Cellæ, nunc *Civitàa Vecchia*; & Alsium, nunc *Palo.*

Intus in mediterraneo, Nepete, Sutrium, Falerii Faliscorum, Fanum Voltumnæ, Hortanum; quæ vulgo nunc *Nepe, Sutri, Civitàa Castellana, Viterbo & Horti.* Inde Herbanum; quæ postea Vrbs vetus, nunc *Orvieto.* Suana & Saturnia, Senæ, Florentia, Pistoria, Luca, nomina antiqua retinent.

Vmbria.

Tuscis jungebantur ad Tiberim fluv. Vmbri. Sed hi ab initio ad utrumque mare late incoluerunt. unde fluvius, mediam postea Etruriam secans, Vmbro olim, nunc *Vmbrone.* Ab Infero mari eos rejecerunt Etrusci; à Supero Senones Galli. at his à Romanis deletis, Vmbræ fines fuere in Romano Imperio ab Austro Nar amnis, vulgo *Nera*, in Tiberim confluens; ab occasu Tiberis, & trans Apenninum Bedesis, nunc *Ronco*, apud Ravennam mare Hadriaticum petens; à Septemtrionibus ipsum hoc mare; ab ortu Æsis fluvius, & inde linea ducta ad Naris fonteis.

Vrbes in ora Hadriatici sinus; Ravenna, Ariminum, Pisaurum, Fanum Fortunæ,

& Sena Gallica, supra dicta: nomina vulgaria nunc sunt, *Ravenna, Rimino, Pésaro, Fano, Sinigaglia.* Intus Cæsena, Sassina, Vrbinum, Sentinum, Æsis, Camerinum; vulgo nunc, *Césena, Sarsina, Vrbino, Sentino, Iesi, Camerino.* Cis Apenninum; Iguvium, Mevania, Spoletium, Tifernum Nuceria, Camellaria, Asisium, Hispellum, Fulginium, Tuder, Interamnium, Narnia, Ameria; & citra Narem Ocriculi: quæ vulgo nunc, *Augubio, Bevagna, Spoleti, Città di Castello, Nocera, Assisi, Ispello, Fuligno, Todi, Térani,* sive *Terni, Narni, Amelia, Otricoli.*

CAP. XXVII.

De Sabinis & Latio.

INfra Vmbros ad mare usque antiquissimis temporibus incoluere Siculi; à quorum Rege Italo, hæc regio primum dicta est Italia; quæ deinde ab Aboriginibus, pulsis inde Siculis, Saturnia vocata est, & mox item Latium: unde Aboriginibus novum nomen Latini. Sed in partem, Antiqui Latii postea successerunt Sabini, inter Narem & Anienem, quorum hic *Teuerone* dicitur. Caput Sabinorum fuit Reate, nunc *Rieti*; & ante hanc Cures, nunc *il Vecovio di Sabina*, cœnobium, cum ingentibus veteris urbis reliquiis, hinc Romani dicti fuere Quirites. Reli-

Reliqua opida celebria sunt ; Nursia, nunc *Norcia* ; Cutiliæ, cujus ruinæ prope opidum *Città Ducale* ; Amiternum, cujus vestigia prope Aquilam. Inde Eretum & Nomentum, prope Anienem, vulgo nunc *Monte Eretondo & Lamentario.*

Sub Sabinis itaque juxta Tuscos fuere Latini, non totius Italiæ solum, sed & orbis universi gens nobilissima. Terra eorum Latium dicta, arctis initio finibus inclusa, ab Aniene ac Tiberi ad Circæum usque promontorium, quod vulgo nunc est *Circelli.* At postquam finitimi etiam populi Æqui, Hernici, Volsci, & Ausones sub eodem Latinorum nomine computati sunt, finis novi Latii fuit Liris amnis, vulgo nunc *Garigliano.*

Caput Latii omni ævo fuit Roma, urbs, ab Aboriginibus, qui antea Oenotri dicebantur, cum ex Græcia in Italiam advenissent, condita ; ab Æneæ posteris, ut tradunt, aucta : urbium sane Regina, orbisque terrarum caput ac domina. Reliqua opida, antiquitate & claritudine, præcipua fuere ; Tibur, nunc *Tivoli* ; Præneste, nunc *Pilastrina*, Gabii, medio inter Præneste & Romam itinere quondam ; Tusculum, nunc *Frascati* ; Aricia, nunc *L'Aricia* ; Lanuvium, nunc *Città Lavinia* ; Alba longa, inter Albanum quondam montem & Lacum ; & Albæ mater Lavinium, prope litus, nunc *Patrica* ; inde Laurentum,

nunc *Paterno*; & tandem Ostia ab Ostiis Tiberinis nomen habens. Circa Anienis Tiberisque confluenteis opida Antemnæ, Collatia, Fidenæ, in tenuibus incertisque vestigiis ostenduntur. Rutuli pars fuere Latinorum; caput eorum Ardea.

In Æquis fuere Carseoli sive Carsula, nunc *Arsuli*, & Valeria, quæ & Varia, nunc *Vico Varo*; tum Sublaqueum, nunc *Suliaca*; Algidum, in Algido monte & nemore, nunc *Selva d' Algieri.*

Hernicorum fuere; Anagnia, Alatrium, Veruli, Ferentinum, nunc *Anagni*, *Alatri*, *Veroli*, *Ferentino*, dicta.

Sub Hernicis ad mare fuerunt Volsci, opida eorum in litore Antium, Circæi, Tarracina, quod antea Anxur. intus statim celeberrimus Pomtinus ager, & Pomtinæ Paludes, à capite olim Volscorum Suessa Pometia dictæ. inde Velitræ, Cora, Norba, Privernum, Setiâ, Signia, Sulmo, Frusino, Fabrateria, Aquinum, Casinum, Atina, Arpinum, Arx, Sora: vulgo nunc dicuntur; *Belitri*, *Cora*, *Norma*, *Piperno*, *Sezza Segni*, *Sermonetta*, *Fraselona*, *Falvatera*, *Aquino*, *Monte Casino*, *Atina*, *Arpino*, *Arce*, *Sora*. At Fregellæ, nunc *Ponto Corvo* est; & Interamna, *l' Isola* nunc dicta.

Ausonum fuere Cajeta, Fundi, Formiæ; nunc vulgo dicuntur *Gaéta*, *Fondi*, *Mola*.

CAP.


MARE
SUPERUM
sive,
ILLYRIS.
HADRIA-
TI-
CUM.
MARE
INFERUM,
sive,
ETRUSCUM.
Sinus
Tarentinus.
Mare
Siculum.
Sidoniates
Sinus.
SICILIA.
PICENTES, VESTINI etc. CAMPANIA, APULIA, LUCANIA, BRUTII etc.

Cap. XXVIII.

Picentes, Vestini, Marrucini, Peligni, Marsi, Frentani, Samnites, Hirpini.

Ultra Apenninum rursus juxta Sabinos & Vmbros, fuere Picentes, inter Æsim & Aternum amneis: quorum hic nunc *Pescára* dicitur. Regio eorum vocabatur Picenum. gens à Sabinis fertur orta. Opida in littore; Ancona, Græcorum colonia, à Syracusanis condita: Castrum novum, nunc *Flaviano*; Castellum Truentinum, ad Truentum amnem. Intus Auximum, nunc *Osmo*; Septempeda, nunc *S. Severino*; Tollentinum, Firmum Picenum, & Asculum Picenum, Interamnium, Atria; quæ nunc, *Tollentino*, *Fermo*, *Ascoli*, *Téramo*, *Atri*. Picentibus continuabantur Vestini, quorum opida Angulus & Pinna, vulgo nunc *Città di Sant Angelo*, & *Città di Penna*; Avia sive Avella, nunc est *Aquila*.

Vestinis ad mare contermini erant Marucini, quorum opidum Teate, nunc *Tieti* & *Chieti*.

Marucinis simul & Vestinis finitimi erant Peligni, quorum caput olim Corfinium, nunc destructum; deinde Sulmo, nunc *Sulmona*.

Pelignis & Vestinis in mediterraneo con-

tinuabantur Marsi. quorum Alba Fucentis, ad Fucinum lacum; quæ hodieque nomen antiquum in ruinis retinet; vulgo *Albe*, & *Albi* dicta. & Marrubium, nunc *Morréa*.

Rursus in littore ultra Marrucinos & Pelignos incolebant Frentani; quorum opida Ortona, Anxanum, Histonium; nunc *Ortona*, *Lanzano*, *Guasto*, *d'Amone*.

Infra Frentanos fuere Samnites, Sabelli etiam dicti, à Sabinis orti: & à Samnitibus orti Hirpini. Illorum regio Samnium; in quo opida, Bovianum, Æsernia, Sæpinum, Allifæ, Telesia; nunc vulgo *Bojano*, *Isernia*, *Sepino*, *Alisi*, *Telese*. Horum opida Beneventum, Equus Tuticus, Abellinum, Compsa, nunc *Benivento*, *Ariano*, *Avellino*, *Conza*.

Cap. XXIX.

De Campania & Picentinis, Apulia, Calabria.

IVxta Samnites Hirpinosque ad mare Inferum erat Campania, vulgo nunc *Terra di Lavoro*: in qua summum Liberi patris cum Cerere certamen. Opida in litore, Liternum, Scipionis Africani voluntario exsilio clarum; nunc vulgo *la Torre di Patria*: Bajæ, delitiæ, an corruptelæ populi Romani: Misenum: nunc *Monte Miseno*; statio quondam classis

classis Romanæ ad Inferum mare: Puteoli, *Puzzuolo*, portus ad hoc mare totius Italiæ celeberrimus: Neapolis, Parthenope ante dicta, nunc *Napoli*; litterarum studiis Ciceronis Virgiliique ætate clara: Herculanium, vulgo *Torre di Greco*; & Pompeji vulgo *Scafáti*; Vesuvii montis incendio nota opida. Inde Surrentum, nunc *Sorrento*. Intus in mediterraneo, unde Campaniæ nomen, Capua, à Tuscis condita; æmula quondam Romæ, atque ob id ipsum perdita. nunc ruinæ ejus visuntur duobus amplius millibus passuum à Nova Capua. Suessa Aurunca, nunc *Sessa*; Venafrum, nunc *Venafri*; Casilinum, nunc *Nova Capua* ad Vulturnum amnem: Teanum Sidicinum, nunc *Tiano*: Calatia, nunc *Cajazzo*; Cales, *Calvi*. Atella, nunc *Aversa*; Acerræ, nunc *Acerra*; Nola, nomen retinens: Nuceria, nunc *Nocera*.

Iuxta Campanos fuere Picentini, à Surrento, sive Minervæ promontorio, ad Silarum usque amnem; pars quondam Picentium, huc à Romanis à supero mari traducti. caput eorum Salernum, vulgo *Salerno*.

Apulia, Calabria.

Iuxta Frentanos, Samnites atque Hirpinos fuere Apuli, quorum regio Apulia, longissimo tractu à Frentone fluvio, vulgo nunc *Fortore*, ad fauces usque Hadriatici maris

excurrens. Divisa fuit in treis parteis. Daunia dicebatur à Frentone ad Aufidum amnem, vulgo nunc *Lófanto*: inde ad Brundisium, & Tarentum, Peucetia; cujus partem Pœdiculi incoluere. hinc reliquum sub peninsulæ forma tenuere Messapii. Sed Messapia post dicta fuit Calabria, & incolæ Calabri. Calabriæ rursus dimidia pars, Tarentino sinui contermina, Salentinorum fuit regio. Atque tum Apulia proprie dicta consistebat inter Frentanos & Calabriam. Opida in Apulia fuere clara, Teanum Apulum; nunc exiguum murorum vestigium dicitur, *Civitate* vulgo: Gerion, nunc *Tragonara*; Sipuntum, nunc *Siponto*; Luceria, nunc *Lucera*; Æquulanum, nunc *Troja*; Arpi, cujus ruinæ apud *Foggiam* opidum: Asculum Apulum, nunc *Ascoli*; Venusia Horatio Alumno nobilis, nunc *Venosa*; Acherontia, nunc *Acirenza*; Canusium, nunc *Canosa*; & clade Romanorum insignis vicus, Cannæ, nunc *Canna*; Salapia, *Salpe*; Rubi, *Ruvo*; Butunti, nunc *Bitonto*; Barium, *Bari*; Egnatia, nunc *Torre d'Anazzo*.

In Calabria Brundisium, trajectu in Græciam olim clara; nunc *Brindisi*; Hydruntum, *Otranto*; Castrum Minervæ, *Castro*; Callipolis, *Gallipoli*; & omnium clarissima Tarentum, *Taranto*. Intus in peninsula, Neritum, *Nardo*; Aletium, *Lezze*: & prope hanc

hanc quondam Rudiæ ; Ennio cive nobile opidum.

Cap. XXX.

De Lucanis, Brutiis & Magna Græcia.

Infra Apulos, Hirpinos atque Picentinos ad utrumque mare fuere Lucani & ipsi à Samnitibus orti Duce Lucio : fineis habuere ad Laum & Sybarim usque amneis ; quorum hic in Tarentino sinu nunc vulgo dicitur *Cochile* ; ille ad mare Inferum, *Laino*. Opida in littore hæc : Pæstum, Græcis Posidonia adpellatum, nunc in ruinis *Pesto* ; Velia, nunc *Pisciotta* ; celebris quondam portus ; Buxentum, nunc *Policastro* ; à Tarentino sinu Metapontum, nunc *Torre di Mare* ; Heraclea, ante Siris dicta, nunc in vestigio ruinarum, *Policore* ; Sybaris, postea Thurii, ac tandem Copiæ, urbs dicta, inter Sybarim Crathimque amneis non extat. Intus Potentia, nunc *Potenza* ; Grumentum, nunc *Clarimonte*.

Post Lucanos extimum Italiæ, ad fretum usque Siculum, angulum tenuere Brutii, à Lucanis orti. Opida in litore versus occasum, Cerilli, nunc *Cirella* ; Clampetia, nunc *Amantéa* ; Temsa sive Tempsa, cujus situs fuit prope speculam maritimam, cui nomen vulgare *Torre Loppa* ; Terina, nunc *Nocera* ; Lametia, nunc *Santa Eufemia* ; Scyllæum

in

in cervice Scyllæ scopuli, nunc *Sciglio*; & ultra fretum, Rhegium, nunc *Reggio*; ab altero mari Locri cognomine Epizephyrii, nunc *Ierace*; Caulonia, nunc *Castel Vetri*: Scylacium, nunc *Squillaci*; Croto, nunc *Crotone*; Petelia, nunc *Belicastro*; Ruscianum, nunc *Rossano*. Intus caput Brutiorum Consentia, nunc *Consenza*; & haud procul inde versus Septemtrionem, quondam Pandosia, cum Acheronte fluv: quæ duo nomina cum Alexander Epirotarum Rex in Epiro ancipiti oraculo monitus fatalia evitare vellet, heic in eadem incidit atque periit. Fuit præterea potens quondam civitas Hipponium, Romanis Vibo Valentia dictum, nunc *Monte Leone*.

Atque hactenus populos enarravimus, qui universam Italiam olim incoluerunt, præcipuasque eorum urbeis recensuimus. Cæterum quum Græci omnem fere oram maritimam, Coloniis suis è Græcia deductis, obsiderent, ipsa hæc terra una cum Sicilia dicta est Magna Græcia, duravitque hoc nomen multis sæculis, donec inter fretum Siculum constitit & Tarentum; quæ pars Italici littoris postea proprie eo nomine indigitata est, testibus Cicerone, Plinio, Ptolemæo & aliis.

CAP.

Cap. XXXI.

De fluviis Italiæ.

Fluviorum princeps Italiæ est Padus, vulgo *Pò*, nulli amnium claritate inferior, Græcis Eridanus dictus; ac Phaëtontis, ut fabulata est antiquitas, pœna illustratus. E gremio Vesuli, celsissimi inter Alpium juga montis profluens, triginta amplius flumina, lacusque immensos, septem ostiis, quæ septem maria perhibebantur, in mare Adriaticum defert. Fluminum nobiliora; sunt ex Alpibus orta; Duria, nunc *Dora*; Sessites, *Séssia*; Ticinum, *Tesino*, lacum Verbanum, nunc *Lago Maggiore*, transiens; Addua, nunc *Adda*, Larium lacum, nunc *Lago di Como*, perfluens: Ollius, nunc *Oglio*, lacum Sebinum, nunc *Lago d'Iséo*, transiens: Mincius, nunc *Menzo*, lacum Benacum, nunc *Lago di Garda*, transmittens. At à dextra ripa recipit idem Padus ex Apenninis jugis, Tanarum, nunc *Tanaro*; Trebiam, qui nomen servat, Romanorum clade illustrem: & Rhenum Bononiensem, vulgo, *Reno*.

Ex Alpibus item profluit Athesis, Italis nunc *Adese*; German. autem *Etsch*. Reliqua quæ sequuntur, cuncta Apenninus fundit: quorum Arnus, vulgo *Arno*, Florentiam ac Pisas perfluit; Tiberis, quem urbs Roma,

Ro-

Romæque conditor Romulus, totius terrarum orbis illustrissimum fecerunt, à dextra ripa Clanim, vulgo *Chiana*, à sinistra Narem, vulgo *Nera*, atque Anienem, nunc *Teverone*, in mare Inferum defert.

Inter Latium & Campaniam est Liris, nunc *Garigliano*, in ipsa Campania Volturnus, *Volturno*; inter Picentinos ac Lucanos Silarus, *Silaro*. In magna Græcia Sybaris, nunc *Cochile*, & Crathis, *Crati*; in Apulia Ausidus, nunc *Lofanto*, Romanorum sinistra pugna adversus Annibalem nobilitatus. Inter Præcutios & Picenum Aternus, nunc *Pescára*. In Gallis Senonibus Metaurus, nunc *Matro*; Hasdrubalis fratris Annibalis clade atque interitu insignitus.

CAP. XXXII.

De montibus Italiæ.

ALpes Italiam à Gallia, Vindelicia, Norico ac Pannonia submovent. Initium earum à vadis Sabatiis: finis ad Flanaticum sinum, vulgo *Golfo di Carnaro*, & Colapis, vulgo *di Kulpe*, fluminis fonteis. Dividuntur in varias parteis atque nomina. A vadis Sabatiis ad Varii amnis fontes, qua Ligustico mari objacent, maritimæ cognominantur; hinc ad Segusium usque, vulgo *Susa*, Cottiæ: inde ad S. Bernardum minorem Grajæ: dein

ad

ad usque S. Gothardum Penninæ: his continuantur Rhæticæ, ad Plavis usque fontem: quarum pars Tridentinæ perhibentur, supra Tridentum. His junguntur ad Doblacum usque Noricæ, supra Tilavemptum amnem, vulgo *Tajamento*: inde jam Carnicæ supra Carnos, usque ad Savi fontes: moxque ultimæ, ad Colapis fonteis usque, Pannonicæ, eædem & Iuliæ dictæ. Sunt tamen qui supra Dalmatiam Alpium nomen protendant, ubi Dalmaticas dici volunt: aliique in Thraciam & Pontum usque. Sed prior finis ad Colapis fontes à plerisque receptus est.

Cæterum intus in Italia Apenninus mons amplissimus Alpibus ad Vada Sabatia annexus, perpetuis jugis lunatoque cursu, ad Siculum fretum Leucopetramque promontorium tendens, Italiam quasi mediam secat Prope Suessam, Liris fluminis sinistræ ripæ prætexitur Massicus mons: hinc inter Bajas & Puteolos est Gaurus. supra Capuam, est Tifata mons, vulgo *monte di Capua*. Vltra Neapolim Nolæ vicinus est Vesuvius, nunc *monte di Somma*, ignium eruptione ac Plinii interitu clarus. In Apulia est Garganus, in mare Superum ingenti promontorio excurrens, nunc *monte di S. Angelo*.

Cap.

Cap. XXXIII.

De variis Italiæ incolis.

TErram Italiam à freto Siculo ad Alpes usque porrectam, qui ab initio habuerint mortales, parum in tanta temporum longinquitate compertum est: nec constat, unus post inundationem terrarum ab urbe Babylonica profectus in dispersione gentium populus hanc regionem occupaverit omnem, unumque universæ nomen imposuerit; an aliæ subinde atque aliæ in terras cultoribus vacuas invectæ gentes, suis quæque sedibus vocabula dederint diversa. Sane varii atque genere plane diversi in ea memorantur auctoribus populi. quorum antiquissimi sunt isti: Ausones, Brutiorum Lucanorumque agrum quondam tenentes; hinc Opici sive Osci, in Samnio atque Campania; Siculi in Sabinis & Latio: Vmbri ad utrumque mare; ad Inferum, in parte Tusciæ inter Tiberim & Vmbrorum amneis. Inde Tusci ad Alpeis usque: juxta hos Ligures in Galliam usque ad Rhodanum extensi. Vltra Tuscos Veneti: quos alii à proximo Illyrico, alii ab Henetis, Paphlagonica gente, ortos tradiderunt. Tuscos expulerunt inter Alpeis & Apenninum supra dicti Galli: Vmbros ab Infero mari removerunt Tusci. Græca gens ex Arca-

Arcadia Duce Oenotro profecti, unde dicti Oenotrii, primum Ausones supradictis sedibus pepulerunt, ulterioraque versus Septemtrionem Italiæ, circa Vulturnum Lirimque amneis petere coëgerunt, nec ea terrarum parte contenti, mox Siculos etiam sedibus ejecerunt, jam tum mutato nomine Aborigenes dicti: Sed cum solum, quod tum occupaverant, Latium vocaretur, mutato jam iterum vocabulo, Latinos inde sese adpellarunt. Sabini Opicorum fuere progenies; genueruntque ipsi ex sese Picentes, Vestinos, Marsos, Pelignos, Frentanos, Marrucinos, Samnites. quorum hi postea Hirpinos, Campanos, Lucanos, atque Brutios condiderunt. Interim Græcorum nationes, aliæ aliis temporibus in Italiam invectæ, urbes in ea passim condiderunt, suisque coloniis, ut supra dictum est, omnem oram maritimam Superi Inferique maris impleverunt. Hinc Italia una cum Sicilia, ut ex Strabone & Trogo liquet, Magna Græcia adpellata fuit. At cum alii populi aliis ex locis Græcos expellerent, maxime vero Lucani eam partem, quam de suo nomine Lucaniam dixerunt, oppressis illis, occuparent, & ab his orti Brutii Brutiam, paulatim Græcum nomen per Italiam imminui cœpit; donec in ea parte consisteret, quæ tum Magna Græcia, nunc Calabria superior dicitur.

At

At postquam Romanorum crevit potentia, tota tandem Italia horum armis subjugata est ; stetitque sub Romæ urbis imperio, regionibus ac populis supra explicatis distincta, ad Honorii Imperatoris usque tempestatem. Exhinc alii aliique subinde, Gothi, Vandali, Heruli, Germanicæ gentes, tum Hunni, superatis Alpium jugis totam invadentes, in varia regna atque imperia distribuerunt. His tandem à ducibus Iustiniani Imp. pulsis, Exarchatus in Italia magistratus constitutus est, cujus sedes Ravenna ; Roma tum in ruinis jacente. Vltimi hinc Longobardi expugnata Ravenna, regnum in Togata Gallia constituerunt, quod etiam nunc de gentis vocabulo corrupte *Lombardia*, quasi Longobardia adpellatur. Hos tandem debellavit Pipinus Franciæ Rex, à Pontifice Romano contra eos in Italiam vocatus.

Cap. XXXIV.

De novissima Italiæ divisione.

POstquam imperii Romani dignitas atque sedes in Germaniam delata est, Italia varie ab aliis aliisque divexata, atque in varios titulos atque dominia discerpta est. Hinc novissimæ divisionis regiones nunc sunt : Histriæ Marchionatus, Fori Iulii Ducatus, & haud exigua Italiæ portio Lombardia, sub qua


ITALIÆ
RECENTIORIS
descriptio
HELVETII.
NORICI
PARS.
RHÆTI
GALLIÆ PARS
ILLYRICUM
Mare Superum
sive Hadriaticum.
MARE
LIGUSTICUM.
MARE
INFERVM
sive
ETRUSCUM.
TANVM
REGNU
AFRICÆ PARS



qua Marchia Tarvisiana, Ducatus Mantuanus, Ducatus Mediolanensis, Tirolis Comitatus dimidia pars, Grisones in ipsis Alpibus; & his contermini Helvetiorum stipendiarii, Pedemontium, Ducatus Montis-Ferrati, Parmensis Ducatus, Romania sive Romaniola, Marchia Anconitana, jamque extra Lombardiam, Ager Genuensis, Tuscia, in qua patrimonium D. Petri, Tiberis dextræ ripæ adfixum; Ducatus Spoletanus, Ager Romanus; inde Regnum Neapolitanum, inque eo regiones Aprutium, Apulia, Laborinus ager, Basilicata, Calabriæ duæ, Ager Baritanus, & ager Hydruntinus.

At eandem Italiam in partes singulis Dominiis distinxeris hoc modo:

I. Dominium est Hispaniarum Regis, sub quo Regnum Neapolitanum, Ducatus Mediolanensis, ac quædam opida in Tusciæ litore, Insulæque Italiæ adjacentes, Sicilia & Sardinia.

II. Pontificis Romani, sub quo ager Romanus, Patrimonium D. Petri, Ducatus Spoletanus, Marchia Anconitana, Romaniola, & urbs in agro Neapolitano Beneventum.

III. Venetæ Reipublicæ, sub qua Histria, Forum Iulii, Marchia Tarvisiana, & inde Lombardiæ pars ad usque Bergomum.

IV. Magni Ducis Tusciæ in Tuscia.

V. Genuensis Reipublicæ; sub qua Liguria

ria intra Apenninum & Ligusticum mare, ac portiuncula Tusciæ Liguriæ proxima, cum Insula Corsica.

VI. Ducis Parmensis in Lombardia Cispadana.

VII. Ducis Sabaudiæ, sub quo Pedemontium.

VIII. Helvetiorum, supra lacum Verbanum & Larium.

IX. Rhætorum sive Grisonum in Alpibus.

X. Archiducum Austriæ in Comitatu Tirolensi, ubi Tridentum, & in partibus Alpinis Fori Iulii ac Histriæ.

XI. Ducis Mantuani, in Ducatibus Mantuæ ac Montis-Ferrati.

XII. Ducis Mutinensis.

XIII. Ducis Vrbinatis.

XIV. Civitatis Lucensis in urbe Luca.

XV. Comitis Mirandulani.

CAP. XXXV.

Histria, Forum Iulium, Marchia Tarvisiana, Grisones, Helvetiorum stipendiarii, & Pedemontium.

NOvissima Italiæ divisione tradita, singulas partes inspicere haud pigeat. Prima ab Arsia amne est Histria, German. *Isterreich* dicta. Opida nunc clariora sunt: Pola, Parentium, & Caput Histriæ, vulgo *Capo d'Istria*. *Forum*

Forum Iulium, vulgo *Friuli*, & *Patria di Friuli.*

Fori Iulii caput est Vedinum, nunc *Vdene*; reliqua opida clara sunt: *Cividad di Friuli*, Tergestum, Gradiscia, ac nuper à Venetis condita *Palma*, egregium Fori Iulii atque Italiæ ab hac parte propugnaculum. Cæterum est in Foro Iulio Austriacæ ditionis Palatinatus Goriciensis, cujus caput *Goricia*, opidum satis nobile.

Marchia Tarvisiana.

Cognominatur Marchia hæc ab Tarvisio, vulgo *Treviso*, splendida urbe. At princeps non modo Marchiæ Tarvisianæ, sed totius facile Italiæ urbs est Venetiæ, in ipso salo, palis superstructa, Emporium toto orbe terrarum celeberrimum, ac respubl. potentissima, magnificis ædificiis splendens, ac templo D. Marci, atque armamentario, maxime conspicua.

Patavium, urbs spatiosa magis quam populosa, Academia totius Europæ celeberrima maxime gloriatur: de cætero munitissima.

Verona ampla, splendida, magnifica ac populosa, amphitheatri reliquiis nota est. Vicentia Equestris ordinis viris gratissimum domicilium.

Rhæti, vulgo *Grisones.*

Grisones, quos Latine vulgato nomine Rhætos, German. *die Graupünter*, vocant, Rheni, Oeni, Athesis ac Adduæ fonteis accolunt. Opida habent tenuia; quorum caput Curia, German. *Chûr*; Ital. *Coira: Meyenfeld*, *Ilandz*, Sub Rhætis est vallis Tellina, & Comitatus Clavennensis; cujus caput Clavenna, Germ. *Clâven*, Ital. *Chiavenna.* In valle Tellina sunt Sundrium, Tiranum, Pesclavium Morbenium.

Helvetiorum stipendiarii.

Grisonibus contermini sunt Helvetiorum stipendiarii; quorum opida haud illepida, Lucanum, Locarnum & Bellisona.

Pedemontium.

Pedemontii Dominus est Dux Sabaudiæ. Caput provinciæ ac Ducum Sabaudicorum sedes est Augusta Taurinorum, vulgo *Turino:* Reliqua opida clara sunt: Vercellæ, Eporedia, Augusta Prætoria, Asta, Alba, Salutium & Nicæa, licet non magna, at incolis valida. Prope est Nicæensium portus, *Villa Franca*, triremium Ducis statio.

CAP.

Cap. XXXVI.

Lombardia, & Genuensis ager.

Lombardia *Transpadana.*

EA quæ nunc Lombardia proprie dicitur, pars est Italiæ, urbium splendore, agrorumque cultu lætissima. Dividitur autem Pado amne in Cispadanam & Transpadanam. Transpadana rursus dispertitur in Ducatum Mediolanensem, Mantuanum & Venetorum ditionem.

Mediolanensis *Ducatus.*

Caput est Mediolanum, unde Ducatui nomen ac dignitas; urbs magnitudine sua, arcis munitione, atque incolarum numerositate clarissima; armorum bellicorum officina tota Europa celeberrima. Secunda à Mediolano est Cremona, magnificis ædificiis superba.. Sequuntur Comum, Papia, Novaria; & in Cispadana Lombardia sub eadem ditione Alexandria ac Dertona.

Mantuanus *Ducatus.*

Mantua, quæ nomen Ducatui dedit, in palude vel lacu sita est, urbs amœnissima, sedes & domicilium nobilissimæ Gonzagarum familiæ.

Veneta *ditio in Lombardia.*

Venetæ ditionis sunt in Lombardia Brixia, Bergomum, Crema & Peschiera, urbes celeberrimæ: quarum duæ posteriores munimina habent validissima.

Lombardia *Cispadana.*

In Lombardia Cispadana sunt Ducatus tres: Parmensis, Mutinensis, & Montisferratensis Ferrariensisque ditionis loca.

Parmensis *Ducatus.*

Parmensis Ducatus caput est Parma, urbs egregia, illustrissimæ Farnesiorum familiæ domicilium. Secunda est Placentia, illi nulla re, nisi dignitate, inferior.

Mutinensis *Ducatus.*

Hujus caput est Mutina. Alterum ejus clarum opidum est Regium Lepidum.

Ager Genuensis, vulgo *Riviera di Génova.*

Caput regionis est Genua; urbs omnium Italicarum ædificiorum splendore ac magnificentia superbissima; quippe in eo vico, qui novus, vulgo *Strada nuova*, dicitur, nulla est domus, quin digna regem vel potentissimum excipere. Hujusmodi autem plures passim in

in urbe, maximeque in ſuburbiis invenias, omni delitiarum genere, ut ſunt Italorum ingenia, inſtructiſſimas. Cæterum Genuenſes in Regis Hiſpaniarum clientela ſunt. Secunda à Genua eſt *Savona*, lepida ſane ac lauta. Sequuntur *Vintimiglia*, *Albenga*, & *Serezzana* in Tuſco ſolo ſita, egregio munimento, ac militum præſidio.

Cap. XXXVII.

Tuſcia, Romaniola, Marchia Anconitana, Romanus ager, & Ducatus Spoletanus.

Tuſcia, vulgo *Toſcana.*

Tvſcia, magni Ducatus titulo ad ſublimem inter Italicas regiones dignitatem elata, caput habet ac Ducum ſedem Florentiam, vulgo *Fiorenza*, vel *Firenze*, urbem, ſi unam Antverpiam excipias, totius Europæ pulcherrimam, templorum ſplendore maxime conſpicuam. Libera atque opulenta fuit civitas antequam Medicæorum familia Principatum occuparet.

Luca ſui juris civitas opulenta ac maxime ſplendida munitaque, Imperiali libertate gaudet. Haud procul marmora magna copia cæduntur, totius Italiæ nobiliſſima.

Piſæ, libera quondam ac potens terra marique civitas, nunc propemodum incolis deſerta,

ſerta, Magno Etruriæ Duci paret. Liburno portui, vulgo *Livorno*, ſive *Ligorno*, & *Liorno*, ad antiquam claritatem hoc novum decus accedit, quod recens à Magno Duce in ſummum ſplendorem reſtaurata eſt. Portus eſt in celeberrimis Italiæ haud poſtremus, Magni Ducis ſeceſſu ac triremium ſtatione inſignis.

Plombinum, Telamon, Orbetellum, & portus Herculis, Hiſpani Regis imperio ſubjecta opida, validis Hiſpanorum præſidiis cuſtodiuntur.

Senæ, vulgo *Siena*, in medio ferme Tuſciæ ſita urbs, merito inter principes Italiæ connumeratur. Libera quondam ac latiſſimo territorio potens civitas, nunc Etruriæ Duci dicto audiens eſt.

Reliqua Tuſciæ opida ſunt Aretium, Cortona, Volaterræ, Piræ, Piſtoria: quarum hæc inter amœniſſimas Italiæ cenſetur. Pratum item & Poggium ſummarum delitiarum ſunt loca.

Maſſa, olim Herculis fanum, nunc novum Genuenſis familiæ Ciborum opus, Principatus titulo cenſetur; opidum feſtivum ac amœnum.

Patrimonium D. Petri.

Etruriæ pars eſt patrimonium D. Petri à Machtilde illuſtri muliere Eccleſiæ Romanæ legatum; hinc vulgo *Lo ſtato della Chieſa* indigi-

indigitatur. Vrbium in eo clariſſimæ, Peruſia, Orvietum, Aquapendens, Horti, Viterbum. Opidum in litore vetuſtiſſimum, quod quondam Centumcellæ, nunc *Cività Vecchia*, id eſt, Vetus civitas, dicitur, portu egregio ac triremium Pontificiarum ſtatione nobile eſt. Bracianum ad Sabatinum lacum, illuſtriſſimæ Vrſinorum familiæ Ducatus eſt.

Romaniola, vulgo *Romagna.*

Romaniolæ fines ſunt intra Foliam amnem, montem Apenninum, Panarum flumen & Padi extremum verſus Septemtriones alveum. Vrbium clariſſima ac celeberrima eſt Bononia, ædificiorum ſplendore ac magnificentia inprimis cenſenda. Sequuntur Ravenna ac Ferraria. Hæc ſuum nuper habuit Ducem; at nunc Romanæ Eccleſiæ ſubjecta. Inde Ariminum, Ceſena, Faventia, Imola, egregia atque haud ignobilia opida.

Marchia Anconitana, Ducatus Vrbinas.

Vrbium in Anconitana regione opulentiſſima eſt Firmum. At portu celebri notiſſima Ancona. Cætera loca notatu digna, Æſis, vulgo *Ieſi*, Macerata. Hinc in Ducatu Vrbinati Vrbinum, Fanum, Senogallia, S. Leo, Forum Sempronii.

Romanus ager, vulgo *Campagna di Roma.*

Princeps agri Romani est Roma, Orbis terræ quondam caput, at nunc etiam ob Pontificis maximi sedem, omnium illustrissima atque celeberrima. de qua præstat tacere, quam pauca dicere.

Reliqua opida agri Romani, alioquin nobilia satis, Romanæ urbis propinquo splendore obscurantur. In his Tibur, nunc *Tivoli*, hortus Ateſtini Cardinalis multiplici amœnitate, ac vario genere delitiarum, clarum per totam Italiam reddit: sed ipsum opidum longe anteeunt Tarracina & Præneste.

Ducatus Spoletanus.

In Ducatu Spoletano sunt Spoletum, Augubium, Fulginium, Interamnia, Narnia.

CAP. XXXVIII.

De Regno Neapolitano.

HInc reliquum Italiæ, quicquid à Fundis opido, & Liris fluvii fontibus, Apennino monte, Truento amne & utroque mari Infero Superoque includitur, Neapolitanum vocatur Regnum, ab urbe Neapoli, capite suo: Longitudo ejus est à Truenti amnis ostio ad Brutium usque promontorium, vulgo *Capo Spar-*

Spartivento, mill. German. xc. Latitudo ab Athenæo sive Minervæ promontorio, vulgo *Massa*, haud procul Neapoli, ad promontorium Gargani montis, vulgo *Monte di S. Angelo*, mill. German. xxx.

In regni formam redacta est hæc regio hoc modo. Cum circa annum Christi cIↃ, Saraceni hoc terrarum, una cum Sicilia insula occupassent, Tancredus quidam Normannus, prognatis duodecim filiis, egestate compulsus, Italiam adsumtis liberis petiit, operamque suam contra Saracenos obtulit. Ibi tum re bene gesta, Saracenisque Italia ac Sicilia ejectis, portiones ei & filiis assignantur in utraque terra. Postea Robertus, unus ex filiis, primus Apuliæ & Calabriæ Dux pronuntiatur. Dein hujus filius Rogerius primus terrarum Neapolis & Siciliæ sub uno regno comprehensarum Rex creatur. Regnum ipsum geminarum Siciliarum nomine adpellabatur. nam quod nunc in Italia Neapolitanum dicitur regnum, tunc Sicilia cis pharum seu fretum vocabatur; ipsa autem insula Sicilia, trans pharum. At divisum mox in duo regna, duos pariter Reges accepit: quorum alter in Italia, Apuliæ sive Neapolis; alter in insula, Siciliæ Rex adpellatus est. Dehinc variam utrumque regnum Dominorum mutationem passum est. Quidpe in Neapolitano regno primi Normanni Galli Reges fuere:

post Suevi Germani; mox iterum Galli Angolemenses; dein Arragonenses Hispani: Iamque tertio Galli; iterumque Arragonenses: tandem Castiliani Reges obtento totius Hispaniæ Imperio, in Neapolitano etiam regno in Arragonensium locum successerunt.

CAP. XXXIX.

De urbibus Regni Neapolitani.

URbes in Neapolitano regno non æque cultæ sunt ac in superiori Italia. una tamen Neapolis regni caput, sedesque Præfecti, quem Hispaniarum Rex Vice-regis titulo mittit, nulli clarissimarum urbium, neque ædificiorum magnificentia, neque palatiorum superbia, neque civium opulentia cedit; multitudine vero incolentium, habita amplitudinis suæ ratione, reliquas omnes vincit. Reliquæ urbes celebriores sunt istæ: in Laborino agro, Capua, Surrentum, Salernum, & Melphis, vulgo *Amalfi*; in qua primum inventus est Pyxidis sive magnetis nautici usus. In Calabria Consentia, Regii Præfecti sedes: Mons Leonis, Regium. Tum in Hydruntino agro Hydruntum, nunc *Otranto*, Gallipolis & Aletium, vulgo *Lezzo*, conventu Iuridico nobile opidum; item Tarentum. In Baritano agro Barium, Monopolis, Tranium. In Apulia Manfredonia, Luceria, Troja, Asculum

lum Apulum: In Aprutio, Aquila, Beneventum, Anxanum, Theate, Pinna, Sulmo, Asculum Picenum.

Cæterum cum tam varium fuerit, tamque frequens de hoc regno inter varios populos certamen, cumque crebris Saracenorum ac Turcarum incursionibus petitum; effectum est uti crebra ac frequentia munimenta contra ingruentem hostilitatem passim excitarentur: quorum firmissima nunc sunt Consentiæ, Cantazari, Mantéæ, Crotone, & Tarenti in Calabria: Gallipoli, Hydrunti, ac Brundisii in agro Hydruntino: Monopoli, Barii, Tranii, Barlettæ, Manfredoniæ in Apulia: Aquilæ in Aprutio. At Cajetæ munimentum, ob singularem firmitudinem, situmque loci, clavis totius regni adpellatur.

Cap. XL.

De Episcopatibus Italiæ, Academiis, & urbium clarissimarum Epithetis.

Archiepiscopatus in universa Italia sunt triginta: quorum in Neapolitano regno viginti & unus; Neapolitanus, Capuanus, Salernitanus, Melphitanus, Surrentinus, Beneventanus, Theatinus, Acheruntinus, Sipontinus, Manfredoniensis, Canusinus, Tranensis, Baritanus, Tarentinus, Maderensis, Brundisinus, Hydruntinus, Rossanensis, Consenti-

sentinus, Sanctoseverinensis & Reginus. In reliqua Italia novem; Senensis, Florentinus, Pisanus, Ravennensis, Genuensis, Taurinensis, Mediolanensis, Venetus, & Gradisciensis.

Episcopatus, ut admodum tenues, sic innumeri. nam quoties opidum aliquod civitatis jure donatur, Episcopus simul eidem contribuitur; ita ut nulla civitas perhiberi possit, quæ Episcopum non habeat, & reciproce, quæ Episcopum habeat, civitas negari nequeat.

Cæterum Patriarchatus, qui Aquilejæ erat, Venetias translatus est.

Academiæ.

Academiæ illustres sunt: Patavii, Bononiæ, Pisis, Senis, Perusiæ. At minus celebres, Augustæ Taurinorum, Ferrariæ, Romæ, Firmi, Neapoli, Salerni, Maceratæ in Marchia Anconitana.

Vrbium clarissimarum Epitheta.

Vrbium Italicarum tantus est splendor, nitor, tanta festivitas & magnificentia, uti haud facile toto terrarum orbe quidquam invenias, quod cum his conferri possit: at eximiæ claritudinis sunt novem; quarum Epitheta, ut in Italia per ora hominum feruntur, hic adponam.

Roma dicitur sancta, vulgo *Roma la Santa*, ob Pontificis maximi sedem. Neapolis, nobilis;


SICILIÆ
ANTIQUÆ
Tabula.
MARE THYRRENUM
sive
TUSCUM.
Aegades
insulæ
MARE LIBYCUM
sive AFRICUM.
SICU
LUM
MARE.
Syracusæ
Pachynum
promont
35
36
37
38
39

nobilis; vulgo *Napoli la gentile*, ob frequentiam Principum, Comitum atque Equestris ordinis virorum. Venetiæ opulentæ, vulgo *Venetia la ricca*; ob potentiam atque opes immensas. Genua superba, vulgo *Genova la superba*; ob superbam ædificiorum magnificentiam. Mediolanum magnum, vulgo *Milano la grande*; ob amplitudinem urbis, civiumque numerositatem. Florentia pulcra, vulgo *Fiorenza. la bella*; ob ædificiorum splendorem, vicorum munditiem, latitudinem ac directionem. Bononia pinguis, vulgo *Bologna la grassa*; ob lascivam agri fertilitatem. Ravenna antiqua, vulgo *Ravenna l'antica*; ob ædificiorum totiusque urbis vetustatem. Patavium doctum, vulgo *Padova la dotta*; ob celebre literarum studium.

CAP. XLI.

De Sicilia.

OMnes Interni maris insulas magnitudine juxta ac claritate antestat Sicilia; quondam, si veteribus credimus, continens & Italiæ annexa: post, interfuso Siculi maris freto, avulsa: cœli clementia ac soli ubertate adeo felix uti horreum Romanorum adpellaretur. Nomen Siciliæ à Siculis, Latii quondam in Italia incolis, habuit: ante fuit dicta Sicania, à Sicano Rege, qui ante Trojana bella,

cum ampliſſima Iberorum ſive Hiſpanorum manu advectus, inſulam de ſuo nomine Sicaniam populumque Sicanos adpellavit. Trinacria item, & Triquetra, à triangula forma, Græcis atque Latinis dicta eſt. quidpe tribus promontoriis in diverſa procurrens, Græcæ literæ, quæ Δέλτα dicitur, imaginem efficit. Pachynum vocatur promontorium, vulgo nunc *Capo Páſſaro*, quod Græciam ſpectat, Lilybæum, nunc *Capo Boéo*, quod Africam; Pelorum, nunc *il Faro*, quod in Italiam vergens freto alluitur. Id anguſtum & anceps, alterno curſu atrox, ſævum, & Scyllæ Charybdiſque horrendis nominibus inclytum eſt. Scylla eſt ſcopulus verſus Septemtrionem. Charybdis mare vorticoſum verſus meridiem; utrumque noxium adpulſis.

Cæterum ipſius inſulæ ſumma longitudo eſt inter Pelorum Lilybæumque promontoria, mill. German. L. latitudo à Pachyno ad Cephalædim opidum mill. German. XXXV.

Vrbes olim in hac claræ; in litoribus Meſſana, civium Romanorum, qui Mamertini vocabantur; Zancle, id eſt, *Falx*, ante dicta, nunc *Meſſina*; Tauromenium, nunc *Taormina*; Catona ſive *Catina*; nunc *Cátania*; Syracuſæ, urbs omnium totius inſulæ clariſſima, nunc *Saraguſa*; Camarina, nunc *Torre di Camarána*; Agrigentum, quod Græcis Acragas, nunc *Gergenti*; Selinuntum,

Græcis

Græcis Selinus, nunc *Torre di Pulici*, vel *Terra de li Pulci*; Lilybæum, litterarum quondam studiis celebre, nunc *Marsalla*; Drepanum, nunc *Trápani*; Panormum vel Panormus, nunc *Palermo*; Soluntum, Græcis Solûs, nunc *Sólante*; Himera, nunc *Término*; Cephalœdis, nunc *Cifalú*; Tyndaris sive Tyndarium, nunc *Santa Maria di Tindári*; Mylæ, nunc *Milazzo*.

Intus Centuripe, nunc *Centorve*; Agyrium, nunc *S. Filippo d' Agirone*; Assorus, nunc *Azaro*; Enna, nunc *Castro Ianna*; Leontini, nomen retinet; Neetum, *Noto*; Motyca, *Módica*.

Flumina ac Montes Siciliæ.

Fluviorum nobilissimi sunt, Onobala, qui & Taurominius, nunc *Cántara*; Symæthus, nunc *la Iaretta*; Cyamosorum ab Centuripis & Chrysam ab Assoro devehens; Terias, nunc *Fiume di S. Leonardo*; Anapus, hodie *Alféo*, cum Cyane fonte, nunc *la Pisma*, apud Syracusas; Florus, nunc *Abiso*; Cela, nunc *Fiume di Terra nuova*; Hypsa, Belici; duoque Himeræ, quorum alter, nunc *Salsa*, in Libycum pelagus; alter, nunc *Termini*, in Tyrrhenum mare devolvitur, ambo ex iisdem fontibus orti, insulam in duas parteis secare falso à veteribus traduntur.

Montium clarissimus maximusque est Ætna,

Ætna, nunc *Monte Gibello*, nocturnis mirus incendiis ; cujus crater xx ſtadia patet. inde eſt Eryx, vulgo nunc *Monte di Trapani.*

CAP. XLII.

De incolis Siciliæ & nova ejus deſcriptione.

INcolas habuit Sicilia primos Cyclopas, & Leſtrigonas, id eſt, gigantes, gentes barbaras atque truces, ut hiſtoriis ac fabulis oſſa immania paſſim in inſula reperta fidem faciunt. Dein Iberi, ex Hiſpania, Duce Sicano inſulam obſediſſe feruntur. Poſt hos Siculi ex Sicilia Italiæ. Dein Phœnices à Tyro ac Sidone litora ejus occuparunt : hos Græci ejecerunt ; cum quibus lingua etiam Græca invecta eſt.

Imperium ab initio penes Reges ac Tyrannos ſtetit, donec maxima pars inſulæ in Carthaginienſium poteſtatem incideret. His devictis Romani ſibi vendicarunt, primaque fuit quam in Provinciæ formam redegerunt. Iuſtiniani Imperatoris tempeſtate Vandali ex Africa eam occuparunt ; quibus à Beliſario Iuſtiniani Duce pulſis, Saraceni poſtea invaſerunt. Hos tandem ejecit Tancredus Normannus ; cujus nepos Rogerius, ut ante memoravimus, primus Apuliæ & Siciliæ Rex creatus eſt. At poſtquam hoc regnum in duo capita

capita divisum, Suevi Germani Siciliæ regno potiti sunt. quibus pulsis Galli recuperarunt. Sed trucidatis his ab incolis ad Vesperas, quas vocant, Siculas, ad Arragoniæ, tandemque ad Castiliæ reges devolutum est.

Tota nunc in tres regiones, quas valles vocant, divisa est; quarum una Vallis Demona, Pelorum promontorium spectat; altera vallis Neeti, Pachynum; tertia Vallis Mazaræ, Lilybæum.

Vrbes nunc claræ.

Vrbium clarissima est Panormus, caput regni ac Proregis, quem Hispaniarum Rex mittit, sedes: urbs est ampla ac spatiosa; hominum multitudine, ædificiorum superbia, civium opulentia insignis. Secunda est Messana, & ipsa magna, opulenta ac splendida. Reliquæ urbes illustres sunt: Catana, Syracusæ, Tauromenium, Agrigentum, Neetum, Sciacca, Mazara, Marsalla, Drepanum, Termini, Enna. Drepanenses nautica scientia reliquos Siculos præstant.

Archiepiscopatus sunt tres; Panormitanus, Messanensis, & Montiregalensis. Academia publica est Catanæ.

Cap.

CAP. XLIII.

De Sardinia & Corsica.

SEcunda magnitudine maris interni est Sardinia, fertilis insula & soli quam cœli melioris, atque ut fœcunda, sic pene pestilens. A Sardo Herculis filio nomen sortitam esse fabulantur Græci, cum ante Sandaliotis & Ichnusa, à soleæ effigie ipsis diceretur. Longitudo ejus à *Calari*, ad fretum quod est inter Sardiniam & Corsicam, complectitur mill. Germ. XLV. Latitudo à Gorditano promontorio, *Capo di Monte Falcone*, & *Capo di Argentera*, ad promontorium Columbarium, juxta Olbiam, mill. German. XXVI.

Vrbium quondam celeberrimæ, Caralis, nunc *Cagliari* Italis, & Sardis *Caglier*; Sulci, Carthaginiensium quondam colonia, nunc *Palma di Sole*; Olbia nomen in vestigiis retinet.

Colonos in eam deduxisse dicuntur Sardus Herculis filius, ex Libya, & Norax Mercurii à Tartesso Hispaniæ urbe; & item Iolaus, à quo populi Iolaenses. deinde Ilienses, & Locrenses, Corsique in eandem pervenerunt. Postea Carthaginienses occuparunt. at his primo bello Punico expulsis, Romani suo imperio adjecerunt: cui paruit usque dum declinante Romano Imperio Sarraceni invaserunt.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0280

ferunt. His ejectis Genuenses ac Pisani aliquamdiu de ejus dominio contenderunt, donec Pontifex Romanus utrorumque ereptam manibus Arragoniæ regibus assignaret; quo titulo tandem ad Hispaniarum Reges pervenit.

Vrbium nunc clarissima Calaris, caput Insulæ, portu nobilis. Præterea Oristana & Sassaris.

Corsica.

At minor est Corsica sesquimill. German. ab Sardinia versus Septemtrionem distans: omni ævo maligne culta, quia aspera & multis in locis aditu difficilis. Dicta est primum Terapne: mox Cyrnus Græcis, à Cyrno Rege, quem Herculis filium volunt. Denique Corsica à Corsa Bubulca, muliere ex Liguria; qua Duce Ligurum manus in eam ingressa est: & Corsi à Duce, dicti coloni. Longitudo Insulæ est à Sacro promontorio, nunc *Punta di Marono*, sive *Capo Corso*, ad promontorium Graniacum, *Capo di Manza*, mill. Germ. xxx. Latitudo à promontorio, quod hodie *Capo di Foro*, usque ad Aleriam, mill. Germ. xx.

Vrbes quondam claræ Aleria & Mariana, quarum nomina nunc in ruinis jacent.

Tusci primi insulæ imperium occuparunt. post hos Carthaginienses; mox Romani: dein

dein Saraceni : quibus profligatis Genuenſes ac Piſani, utris dominium maneret, inter ſe certarunt, tandem Genuenſibus ceſſit.

Vrbes in ea nullæ nunc claræ. præcipua tamen loca ſunt ; *Adiazzo*, *Nebbio*, *Calvi*, *Bonifacio*. Calvi eſt celeberrimus inſulæ portus.

LIBER QVARTVS.

CAP. I.

De Pannonia.

TRansgreſſis ex Italia Iulias Alpeis, Pannonia conſpicitur, ſolo fœcunda, viris fortis, armiſque ac opibus maxime valida quondam regio. Nominis origo incerta. Limites ab occaſu habuit Cethium montem ; is nunc ampliſſimis jugis, ab Savi Dravique fontibus ad Danubium uſque variis nominibus pertexitur, primum *Pleyſz*, modo *Hengſtberg*, mox *Dembberg*, dein *Herzberg*, *Schneeberg*, & *Kalenberg* dictus, ab Septemtrione, Danubium amnem ; ab ortu eundem Danubium & Aureum montem, nunc Hungaris *Macheck* ; à meridie lineam ductam ab Aureo monte per confluentes Timaci, nunc *Lim*, & Drini, nunc *Drina*, ad fontes

Vna


PANNONIA
et
ILLYRICUM.
MORAVIÆ
PARS.
AUSTRIÆ
PARS.
SU
PE
Stiria.
Carinthia.
CARNI
OLA.
RI
VA
OR.
Vinidorum
Marchia.
LIBUR
Histria.
Sclavo
nia.
Croa
tia.
NO
Bo
nia.
FERI
OR.
NIA.
RASCIA.
RASCIA.
Ia
zÿ
RIA.
ges.
SUPERIOR.
HUN
INFERI
GA
OR.
IN
LE
RIA
RA
SCIA.
ILLYRICUM.
DALMATIA.
ADRIATICUM MARE.
ILLYRICUM MARE.
Laburnicum Mare.
Dalmaticum Mare.
ITALIA
PARS
TRANSYLVANIÆ PARS
Servia.
Danubius fl.
Carpates Mons
Tockey
Pathissus fl.
Eperis
Caßovia
Leutsch
Neusol
Altsol
Schemnitz
Krem
Nitria
Comara
Detis
Arrabo
Strigonium
Palota
Papa
Vesperinus
Symeck
Cepranitz
Cillei
Zagrabia
Gradiskia
Posega
Sirmium
Taurunum
Temesvar
Genadium
Segedinum
Colotza
Pestum
Solnock
Quinque Ecclesiæ
Sabaria
Scarabantia
Murvela
Raclianum
Cetius M.
Danubius
Fluvius
Vindobona
Carnuntum
Pesonium
Tyrna
Marus fl.
Carnica
Alpes
Iulia Alpes
Amona
Ocra M.
Tergeste
Fornis fl.
Ister fl.
Tarsaticages
Senia
Lopsia
Carcinomas
Ortopula
Mons
Argyruntum
Ænona
Scardona
Gadera
Tatius fl.
Sicum
Salona
Narona
Tragurium
Spalatum
Onæum
Rizinum
Epidaurus
Budua
Olchinium
Scodra
Lissus
Drilo fl.
Aemus sive Argentatus Mons.
Scodrus Mons
Dalminium
Tlinacus fl.
Drinus fl.
Bosna fl.
Bebi M.
Ancona
Sena Gallica
Æsis
Agotinum
Tesis fl.
Trento fl.
Aternum
Ortona
Sagras fl.
Samos
Zatmar
Varadinum
Tyrna
Neusol
Carnuntum
Pesonium
Vindobona
Fluvius
Danubius
Cetius M.
Arrabo
Sabaria
Raclianum
Cepranitz
Cillei
Vesperinus
Papa
Alba Regalis
Buda
Pestum
Colotza
Sirmium
Taurunum
Temesvar
Danubius fl.
Aemus sive Argentatus Mons.
Drilo fl.
Lissus



Vnæ fluminis. Inde *Caravancas* mons, & Pannonicæ, Carnicæque Alpes ad Savi usque fontes. Complectitur hodie Carniolam, Croatiam, Vindorum Marchiam, Carinthiam, Stiriam, majorem partem Austriæ, dimidium Hungariæ, Sclavoniam, Bosniam, partemque Serviæ.

Divisa fuit in Superiorem & Inferiorem. Superior, quæ & prima Consularis, versus Occidentem est: in qua nunc Carniola, Croatia, Vindorum Marchia, Carinthia, Stiria, Austriæque major pars. Inferior, quæ & secunda Consularis, in Orientem vergens, complectitur Bosniam, Sclavoniam, & quantum Hungariæ Danubium, Dravum, Arrabonemque amneis interjacet. At ea utriusque Pannoniæ pars, quæ inter Dravum Savumque fluvios porrecta, Valeria, sive Pannonia Interamnia & Riparensis dicta est.

Sic igitur hodie Hungaria vix tertiam sui partem in veteri Pannonia habet; cum reliquum trans Danubium in Iazygibus Dacisque obtineat.

Vrbium clarissimæ, Segesta, quæ & Siscia, nunc *Siseck*, in Croatia; Petovio, vel Patavium, *Pettavv*, in Stiria; Amona, *Vnterlaubach*, Romanorum colonia; Nauportum, *Oberlaubach*, in Carniola; Vindoniana, quæ & Vindobona, nunc Vienna, in Austria: Scarabantia, nunc *Scarbing*; Sirmium, nunc *Simach*;

Simach; in Hungaria; Taurunum, vulgo *Belgrad*, & Germanis *Griechsvveissenburg*.

Cap. II.

De incolis Pannoniarum & de regno Hungariæ.

PRimi, quos veterum monumenta tradunt, incoluere Pannoniam Pannonii, Celtica gens: quos Græci Pæones vocarunt. Iulius Cæsar primus terram ingressus; post eum item alii: at Tiberius tandem perdomuit. Tulerunt inde Imperii Romani jugum, donec post inclinationem ejus Gothi invaderent, quos Hunni expulerunt; hos Longobardi; rursumque hos Hunni, tandem circa annum IↃcccc sub Arnolpho Imperatore, gens quædam è Scythia profecta, oppressis Hunnis, totum quod nunc Hungariæ dicitur regnum, occupavit, Hunnorumque reliquiis mista, nomen in eo constituit, quo etiam nunc Hungari indigetantur. At termini Hungariæ sunt, à Septemtrionibus Carpates mons, quo à Polonia ac Russia separatur; ab Oriente est Transsilvania, & Valachia; à Meridie Dravus fluvius; ab Occidente Stiria, Austria atque Moravia.

Figura ejus quadra est, cujus latera quatuor mundi cardines spectant. At maxima ejus longitudo, à Patissi fontibus, vulgo *die Teisse*,

Teiſſe, ad Muræ, *die Muer*, confluentem, mill. German. LX porrigitur, ac par ferme eſt latitudo.

Dividitur in Superiorem, quæ trans Danubium Poloniæ ac Transſilvaniæ contermina; & inferiorem, quæ cis Danubium eſt. Comitatus in univerſa cenſentur L. At maximam regni partem hodie Turcarum atrox imperium miſere divexat.

Opida in ea plurimum diruta, vel quæ exſtant, admodum tenuia, niſi quæ Moraviæ Poloniæque propius accedunt vulgo *die Bergſtätte*. Clariora tamen ſunt in ſuperiori Hungaria: *Temeſvvar*; Genadium, vulgo *Chonad*; Segedinum; Varadinum, vulgo *Wardeyen*; *Solnock*; Agria, cum arce *Erla*; duoque firmiſſima munimenta *Zatmar* & *Tockey*. At in Montanis, *die Bergſtätte*; Caſſovia, *Kaſſavv*, caput ſuperioris Hungariæ; *Eperis*; *Leutſch*; *Neuſol*; *Altſol*; *Kremmitz*, *Nitria*; omniumque amœniſſima *Tyrna*: & quæ caput regni, poſt amiſſam Budam, Poſonium, vulgo *Preßburg*; urbs ad Germanicum modum ſatis culta.

In inferiori ſunt; Arrabo, vulgo *Rabe*; incolis *Tavvarzin*, inde latine Iavarinum; Comara, vulgo *Komarno*; Strigonium, vulgo *Graan*; Alba regalis. vulgo *Stuelvveiſſenburg*; Veſperinum, *Veſperin*; Quinque Eccleſiæ, *Fünfkirchen*; & caput quondam, regia-

regiaque totius regni Buda, Germanis *Ofen*; cui in adversa ripa objacet Pestum. Clara sunt munimenta, *Dotis*, *Pappa*, *Palotta*. Archiepiscopatus sunt duo, Strigonienſis & Colossensis in opido *Kolotza*.

CAP. III.

De Sclavonia & Bosnia.

SClavoniæ equidem nomine vulgo, confusis Pannoniæ Illyricique limitibus, accipitur quidquid terrarum ab Dravo amne ad Adriaticum mare protenditur. At proprie Sclavonia dicitur ea regio, quæ Dravum Savumque amnes interjacet, ab Occasu Stiria, ab Ortu Danubio clausa. Longitudo ejus est ab opido *Kopranitz* ad Dravi confluentem, mill. Germ. L. Latitudo à Dravo ad Savum, XII.

Ad inferiorem Savi partem ultra Danubium protensi incolunt Rasci populi, Germ. *die Ratzen*. At totam hanc regionem aliquando Pannonii, mox Gothi tenuerunt: noviſſimi Sclavi, ſive ii Sclavonii qui ad hanc noſtram ætatem manent. Hi quondam regnum in ea conſtituentes, poſtea Hungaris vectigales facti ſunt. Nunc major pars Turcico Imperio paret.

Opida notiora ſunt, *Poſega*, *Gradiskia*, *Zagabria*, & *Kopranitz*, validiſſimum contra Turcarum incurſiones munimentum.

Boſnia

Bosniæ regnum.

Bosniæ regnum inter Vnam, Savum atque Drinum amneis Bebiosque montes situm, nomen accepit à Bosna flumine. Longitudo ejus inter duo flumina Vnam & Drinum, porrigitur milliar. Germ. XL. Latitudo vero inter Bosnæ fonteis ac confluentem mill. Germ. XV.

Hæc quoque olim Pannoniæ pars fuit: Postmodum Gothi occuparunt; quibus egressis, Slavoni obsederunt. Hungaris deinde principatus titulo stipendiaria facta. Atquum Turca potiretur, Præfectus, quem ille constituerat, regio titulo ac Diademate sumto, principatum in regni formam redegit; quod Hungari recuperatum, haud diu tenuerunt quin Turca repeteret.

Caput regni erat *Iaytza:* nunc Metropolis est *Warbosanin.*

Cap. IV.

De Illyrico.

Ab Arsia fluvio, Italiæ termino, versus Orientem, Illyricum est, Græcis Illyris: regio aprica atque amœna, solum fertile, ac vitiferum, nisi quod ubi Pannoniis proximum, asperum ac durum. Terminatur ab occasu Arsia flumine, ac linea ab Arsiæ fon-

tibus ad Colapis ortus ducta ; à Septemtrione perpetuis montium jugis , quibus Illyrii à Pannoniis discernuntur , ad fontes usque Vnæ, atque inde linea ducta ad Timaci, nunc *Lim* , & Drini confluentes : ab Oriente est ipse Timacus , Scodrus mons , & Drilo fluvius , quo à Macedonia submovetur : à Meridie Adriaticus sinus. Longitudo ejus patet ab Arsia ad Drilonem mill. German. xc. Latitudo maxima est juxta Naronem fluvium à fontibus ejus ad ostium milliar. xx.

Divisa fuit olim in duas potissimum partes sive regiones ; quarum una ab Arsia ad Titium amnem, qui nunc est *Cherca*, Liburnia dicitur ; inde altera ad Drilonem usque fluvium,sive Lissum opidum, quod nunc vulgo dicitur *Alessia*, Dalmatia.

Liburniæ populorum clarissimi fuerunt Iapyges. Opida per oram , Flanona , nunc *Fianona* ; Tarsatica, *Tersatz* ; Senia, *Zegna* ; Lopsica,*Lopur* ; Ortopula,*Starigrad* ; Argyruntum , *Pescha* ; Ænona , *Nona* ; Iadera, *Zara Vecchia* ; Scardona nomen retinet.

Dalmatiæ populi etiam fuere varii. Opida in litore Sicum, nunc *Sebenico* ; Tragurium, nunc *Trauv* ; Salona prope Spalatum ; Narona , *Narenta* ; Onæum , *Sabioncello* ; Epidaurus , *Ragusi Vecchia* ; Rizinum, *Risine* ; Budua,*Budoa* ; Olchinium,ante Colchinium dictum, nunc *Dolcigno* ; Lissus,*Alessia*. Intus

Scodra,

Scodta, *Scutari*; Dalminium sive Delminium, *Delminio*, unde Delmatiæ sive Dalmatiæ nomen.

Cap. V.

De incolis Illyrici, & nova ejus descriptione.

Illyriorum gens fera fuit, atrox, & latrociniis piraticaque infamis. Edomita à Romanis ea pars quæ Liburnia dicitur, anno ab urbe condita Ↄxxv, annis decem ante secundum bellum Punicum; Dalmatia sub Augusto Imperatore. Stetit inde sub urbis Romæ imperio, donec Gothi eam vastarent. Post hos Sclavonii, à Mæoti palude profecti, occuparunt. In quos deinde Hungari imperium habuere: ac noviſſime Turcæ oppreſſis Hungaris, interiora sibi vendicarunt; Venetis in hunc usque diem maritimam oram obtinentibus, exceptis duabus civitatibus, Scardona, quæ Turcici juris, & *Raguſi*, quæ sui juris. Regio ipsa quæ olim in duas parteis, Liburniam ac Dalmatiam diviſa, nunc uno nomine Dalmatia adpellatur, eademque pars Sclavoniæ. At quæ quondam Liburnia, ea nunc Comitatus Iadera, vulgo *Contado di Zara* nuncupatur. In hoc urbes nunc claræ; *Segna, Nona, Zara*; hæc haud exigui momenti, nec ultimi splendoris civitas. *Sabenicum*

satis amœna urbs, at parum culta, ob vexationes vicinorum Turcarum, qui Scardonam tenent. *Ragusa*, haud magna urbs cum arce, sui quidem juris est, at stipendium pendit Turcæ: Emporium alioquin, ab hoc latere maris Adriatici, Turcicis mercibus celeberrimum. *Scutari* quoque, Turcicum opidum, Emporium est haud ignobile.

CAP. VI.

De Græcia, & summa ejus divisione.

ILlyrico conjuncta est Græcia, antequam Orbis imperio Romani potirentur, terrarum omnium dictis factisque celeberrima. Hinc quidpe omnis litterarum claritas primum effulsit. hinc frequentes coloniæ ad illustrandum totum terræ orbem in diversas regiones exiverunt. Nunc tota à Turcis devastata, in exiguis ruderibus deserta & ipsa barbarie magis barbara jacet. Dicta est terra Græcia à Rege Græco; eadem ab alio Rege Hellene, Hellas, & incolæ Hellenes. At nomen Græciæ diverse accipitur. Primum enim Græciæ nomine dictæ fuerunt binæ terræ, quæ postea separatim altera Thessalia, altera Græcia sive Hellas proprie dicta. Dein Græciæ titulo accessit Peloponnesus; mox item Epirus, simulque Macedonia tota; denique Creta insula & quicquid insularum Græciæ




GRÆCIÆ
Descriptio.
JONIUM
MARE
ÆGÆUM
MARE.
CRETICUM MARE.
Alba
Bisaltæ
Amphipolis
Neapolis
Abdera
Samothrace
Thasus
Imbrus
Lemnus
Athos M.
Strymonic. Sinus
Scyros Insf.
Caphareus
Chalcis
Eretria
Athenæ
Delos
Samos
Icarium Pelagus
Icaria
Patmos
Amorgos
Astypalæa
Epidaurus
Corinthius Sinus
Zacynthus
Cythera
Methone
Lemnos
Thessalonica Sinus

ciæ adjacet. Quin etiam in Italiam & Siciliam, ut supra dictum est, Græcum nomen usquequaque transiit, ubi Græcia magna; & item in Asiam, ubi Græcia Asiatica. Sed de hac in ipsa Asia; nunc Europæ primum terræ explicandæ sunt.

Totum igitur hoc, quod sub uno Græciæ nomine computavimus, terminis includitur, ab ortu Ægæo mari; à meridie Cretico; ab occasu Ionio; à Septemtrione Scardicis jugis ab Illyriis ac Mœsis separatur, Strymoneque amne à Thracibus. Longitudo ejus est à Tenario Peloponnesi promontorio, per Isthmum ad Strymonis fontes, milliar. German. c. Latitudo maxima ab Sunio promontorio per Græciam proprie dictam & Epirum, Acroceraunium usque promontorium, milliar. Germanicor. LXXX.

Partes sive regiones, in quas universa Græcia potissimum dividitur, sunt istæ; Epirus, Peloponnesus, Græcia proprie dicta, Thessalia & Macedonia. Quanquam Acarnaniam quæ sub Epiro, & Ætoliam quæ sub Græcia, nonnulli veterum Geographorum separatim censeant.

At Romani universam Græciam in duas provincias divisérunt; Macedoniam, sub qua ipsa Macedonia, Epirus & Thessalia; & Achajam, sub qua Græcia proprie dicta, Peloponnesus & Insulæ circumjacentes.

CAP. VII.

De Epiro & Peloponneſo.

Epirus.

EPirus, quæ nunc *Canina* dicitur, ſeparatur à Macedonibus Celidno amne & Pindo monte; ab Græcis Acheloo flumine. Populi clari fuere Moloſſi, quorum opidum Dodone, apud quos Iovis Dodonæi templum, oraculo illuſtre; Dryopes; Chaones, quorum regio Chaonia; opida, Oricum, Antigonia, Panormus, Elæus; Theſprotii, quorum Buthrotum, Pyrrhi regia; Caſſiopæi, quorum Caſſiope; regio Almene, opidum Nicopolis; Amphilochi, opidum Argos, cognomine Amphilochicum; Acarnanes, regio Acarnania, opidum Ambracia, Æacidarum regia: unde Ambracius ſinus, quo nihil in Epiro nobilius: Actium, Leucas, Stratos.

Peloponneſus.

Peloponneſus à Pelope Rege dicta, quæ nunc *Morea*, haud ulli terrarum quondam nobilitate poſtferenda, quaſi peninſula inter duo maria Ægæum & Ionium extenditur; ob ſinus & promontoria, queis ut fibris litora ejus inciſa ſunt, ſimul quod tenui tramite in latus effunditur, platani folio ſimillima.

Partes ſeu regiones in ipſa, Achaja proprie dicta,

dicta, Elis, Messenia, Arcadia, Laconica, & Argolis sive Argia.

Vrbium clarissimæ; in Achaja, Corinthus in ipso Isthmo, olim clara opibus, post clade notior; cujus potentiam Romani cum vererentur, funditus everterunt. In Elide Olympia, certamine Gymnico maxime nobilis; Cyllene, quod Mercurium ibi natum arbitrabantur, insignis; unde Mercurius Cyllenius. In Messenia, Messene, Pylus, unde Nestor ille Pylius; Corone. In Arcadia, Tegea, Stymphalus, Mantinea, & Megalopolis, Polybii patria. In Laconica, Lacedæmon, totius Græciæ quondam potentissima, eadem & Sparta; Leuctrum, Amyclæ. In Argia, Argos, Hippium cognomine, templi Iunonis unde Iuno Argiva, vetustate & religione percelebre: Nemea, Mycenæ, Nauplia, Trœzen, fide societatis Atticæ illustris; Epidaurus, Æsculapii templo inclyta.

Cap. VIII.

De Hellade, seu Græcia proprie dicta, & Thessalia.

PEloponneso angusto tramite seu Isthmo adnectitur regio, quæ Hellas Græcis, Latinis Græcia proprie dicta est. Limites ab occasu habet Acheloum amnem, quo ab Epiro submovetur; à Septemtrione Othrym &

Oetam montes, quibus à Theſſalia dirimitur; ab ortu mare Ægæum: à meridie Saronicum Corinthiacumque ſinus, & in medio utriuſque Iſthmum, quo Peloponneſo adhæret.

Partes ſeu regiones Græciæ ſunt; Ætolia, Doris, Locris, Ozolæa, Phocis, Megaris, Attis ſeu Attica, Bœotia, & Locris Epicnemidia.

Vrbes claræ fuerunt; Ætolorum, Chalcis, Calydon, Olenus. In Doride Bojum, Cytinium, Pindus. In Locris Ozolis, Naupactus, quæ nunc *Lepanto*, Turcarum clade illuſtrata. In Phocide, Anticyra, Chyrrha, Pythia, Delphi ſub monte Parnaſſo, clariſſimum quondam in terris oraculo Apollinis opidum. In Bœotia Orchomenum, Theſpiæ, Lebadia, Chæronea Plutarcho clara; Platææ, Thebæ cognomine Bœotiæ, duobus diis alumnis Hercule & Libero maxime celebres, potens quondam civitas; Delium, Aulis portu clara, Agamemnoniæ Grajorumque in Trojam conjurantium claſſis ſtatio: Leuctra, Epaminondæ Thebani pugna adverſus Lacedæmonios victoriaque clara. In Megaride, unde regioni nomen, Megara & Eleuſis. In Attide Marathon, magnarum multarumque virtutum teſtis; & clariores quam ut indicari egeant Athenæ. In Locris Epicnemidiis, Cnemides, unde regioni cognomen, Opus, Thronium, Elatia, Lilæa.

Theſſalia.

Græciæ proprie dictæ à Septemtrione jungitur mutatis ſæpe nominibus Æmonia, Macedoniæ quondam pars, at poſtea avulſa moxque iterum juncta. Eadem Pelaſgicum Argos, Hellas, Theſſalia & Dryopis, ſemper à regibus cognominata. Ibi genitus Rex nomine Græcus, à quo Græcia; ibi Hellen, à quo Hellenes. Hos eoſdem Homerus tribus nominibus adpellavit, Myrmidonas, Hellenas & Achæos. At Theſſaliæ nomen tandem invaluit, in Theſſalos proprie dictos, Eſtiotas, Pelaſgos, Magneſios ac Phthiotas populos diviſum.

Opida in Theſſalia proprie dicta; Hypata, Soſtenes, Cypera. In Eſtiotide, Gomphi, Pheſtus, Tricca, Ætinium, & Philippici campi, iidem & Pharſalici, civilibus Romanorum cladibus nobilitati. In Pelaſgia, Pythæum, Atrax. In Magneſia, Iolcus, Hermenium, Caſtanea, Melibœa, & Methone, Philippi Macedonis Alexandri Magni patris obſidione, in qua ſagittæ ictu oculum amiſit, clara; & in Malliaco ſinu cæſorum etiam Laconum Leonida duce trophæa Thermopylæ. In Phthiotide, Pthia, Thebæ cognomine Theſſalicæ, Echinus, Lariſſa, Demetrias, Pagaſæ, & ſacro nemore nobilia Tempe, locus ad Peneum flumen.

CAP. IX.

Macedonia.

SVpra Thessaliam atque Epirum, versus Septemtrionem regiones, quæ diversis populorum nominibus ac regibus antea sejungebantur, postea uni Macedoniæ nomini contributæ, factæ sunt corpus unum. Terra ipsa duobus inclyta Regibus, Philippo patre & Alexandro filio, per quos terrarum Imperio quondam potita, magna est ac spatiosa ad utrumque mare, qua Sol oritur, Ægæum, qua occidit, Ionium extensa. Æmathia ante dicta fuit pars ejus ab Æmathio Rege; unde in totam terram nomen dimanavit. Macedoniam à Macedone Deucalionis materno nepote adpellatam vult Solinus. at ego suspicor à parte eius Mygdonia natum nomen esse Macedoniæ, cum exigua sit pronuntiationis differentia in Μακεδονία & Μυγδονία.

Limites habet ab ortu Ægæum; à meridie Thessaliam & Epirum; ab occasu Ionium sive Adriaticum mare; ab Septemtrione eosdem quos universæ Græciæ statuimus.

Centum quinquaginta in hac olim populos fuisse, auctor est Plinius. At quorum nomina ad nos clara pervenerunt, ad Adriaticum mare Taulantii, quorum opida Epidamnus vel Epidamnum, propter inauspicatum nomen,

nomen, quia vel in damnum ituris omen id visum est, à Romanis Dyrrachium adpellatum, nunc *Durazzo*; Apollonia & Aulon. Elymiotæ, quorum opida Elyma & Bullis. Orestis regio Epiro juncta, opidum Grytone. Dassaretæ, opida Lychnidos, Evia. Regio Æmathia, seu Æmathia proprie dicta, opida Pella, quam omnium Macedonicarum urbium maxime illustrem effecerunt duo alumni, Philippus Græciæ domitor, & Alexander etiam Asiæ. Ægæa, in qua mos erat Reges sepelire; Ædessa, Idomena, Scydra, Europus, Tyrissa. Regio Pieria, Musarum parens domusque, opida Pidna; Phylace, Dion. Mygdones, regioque Mygdonia; opida Antigonia, Physcæ, Carrhabia, Letæ, Terpilus. Paraxis; opida Antigone, Pallene, Cassandria, Torone. Regio Chaldica; opida, Augæa, Singus, Acanthus. Amphaxitis regio, opidum, Thessalonica, Ciceronis exilio insignis, & Stagira, Aristotelis principis Philosophorum cunis clara. Bisaltæ; opida Euporia, Ossa, Calliteræ. Edonii; opida, Amphipolis, Scotusa, Berga. Orbeli; opidum Gariscus. Sintici; opida, Heraclea, Paræcopolis, Tristolus. Pelagones; opidum Stobi. Lyncistarum, Heraclea. Iororum, Iorum & Alorus. Almopum, Europas, Albanopolis, Apsalus. Æstræorum, Æstræum: Eordeorum, Daulia, Dibolia, Scampis.

Cap. X.

De Fluviis, Montibus ac Insulis Græciæ adjacentibus.

Fluvii.

FLuvii universæ Græciæ celebriores sunt isti; In Epiro Acheron, cui Pandosia opidum adpositum: quæ duo nomina cum Alexander Rex ancipiti oraculo monitus fatalia vitare vellet, in Brutiis Italiæ populis in eadem incidit atque interiit. In Acarnania Achelous. In Peloponneso Peneus, Alpheus, Panisus, Eurotas & Inachus. In Græcia Cephissus, in duo cornua scissus, quorum dextrum Asopus fluvius, lævum Ismenus vocatur. In Thessalia Sperchius & Peneus. In Macedonia Ægæum mare petentes, Aliacmon, Erigon, Axius, Chabris, Strymon. at in Adriaticum sinum sese exonerantes, Panyasus, Apsus, Laus, Celidnus.

Montes.

Montium nobilissimi sunt; in Epiro Acroceraunii & Pindus. In Peloponneso, Stymphalus, Pholoë, Chronicus, Taygetus. In Græcia Callidromus. Inter Græciam & Thessaliam, Othrys & Oeta. In Phocide Helicon & Parnassus. In Bœotia Cithæron, fabulis carminibusque celebratissimus. In Attica Hymetto

Hymetto meritissime tribuitur principatus, quod adprime florulentus, eximio mellis sapore, & externos omnes & suos vincit. In Thessalia Olympus, Pelius atque Ossa, Gigantum fabula belloque memorati. In Macedonia Athos, quem Xerxes, Græciæ bellum inferens, perfossum velificavit.

Insulæ ad Græciam.

Insulæ Græciæ littori adjacent innumeræ. Harum præter Cretam, quæ separatim dicetur, clarissimæ Ionio in mari Corcyra, cum opido ejusdem nominis, nunc *Corfu*, Venetæ ditionis una cum Cephalenia & Zacyntho; quarum hæc nunc *Zante*; illa *Cefalogna*. Prope Cephaleniam inter non ignobiles est Ithaca, Vlyssis nomine maxime illustris, nunc *Isola del Compare*. In Ægæo mari Eubœa, vulgo nunc *Negroponte*, Bœotiæ avulsa putatur, tam modico interfluente euripo, ut ponte jungatur. opida in ea quondam opulentissima, Calystus & Chalcis. Hinc versus Septemtriones est Scyrus, vulgo *Sciro*; & ultra Lemnos, nunc *Stalimene*, inter hanc & Thracium littus Samothrace, vulgo *Samandrachi*. Lesbus, nunc *Metellino*, & Chius, *Scio*, Asiæ attribuuntur. In Lesbo quondam opidum nobilissimum Mitylene, unde hodie insulæ nomen. In Saronico sinu Ægina, nunc *Engia*; & Salamis, nunc *Coluri*, excidio

classis Persicæ nota. Dein quæ in medio mari veluti in orbem jacent, Cyclades, in quibus notiores Andrus, nunc *Andri*; Delus, *Sdille*, & Paros, *Pario* marmore nobilis. Et circum Cycladas, quia dispersæ, Sporades; in quibus clariores Icaria, nunc *Nicaria*, & Pathmus, *Palmossa*, Ioannis Theologi exilio insignita. Nobiles præterea sunt, Samus, vulgo *Samo*, Cos, nunc *Lango*, & Carpathus, *Scarpanto*; quæ contribuuntur Asiæ.

CAP. XI.

De Incolis Græciæ & nova ejus descriptione.

GRæciam omnium Europæ terrarum primam habitatam fuisse, cum multa alia, tum inprimis situs argumento est; quidpe quæ proxima accedit Asiæ, ubi primum hominem formatum scimus. Inde igitur brevis ac facilis in Græciam trajectus. Suis sibi Regibus, Ducibus ac Magistratibus discreti populi ac civitates egerunt, donec Philippo Macedone debellante tota Græcia Macedonico imperio subjecta est. Dein Romani ejus imperio potiti; post hos Gothi ac Hunni devastarunt magis, quam coluerunt; novissimi Saraceni ac Turcæ in hunc usque diem tenent. Hinc Græcia, abolitis priscis regionum ac populorum vocabulis, in nova nomi-

na





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0309



na divisa est : quæ olim Peloponnesus erat, nunc *Morea* dicitur ; quæ Græcia proprie, nunc *Livadia* ; quæ Thessalia, nunc *Ianna* ; & Epirus, *Canina*. Macedonia vero in quatuor parteis ; quæ Thraciæ contermina, *Iamboli* vocatur ; quæ Thessaliæ proxima, *Camenolitari* ; quæ Illyrico sive Dalmatiæ jungitur, *Albania*, proxima, antiquus ac nobilissimus Principatus, equitum suorum robore atque virtute nunc maxime clarus ; & in omnium medio, ipsum Macedoniæ priscum nomen.

Vrbium in universa Græcia nunc celeberrima est Thessalonica, vulgo *Salonichi*, ingens atque opulenta ; emporium mercatoribus Indicis frequentissimum. Secunda est Dyrrachium Albaniæ, vulgo *Durazzo*, urbs validissima, at minus culta ob gravitatem cœli. *Croia*, Scanderbegi patria, item est urbs munitissima in mediterraneis Albaniæ.

CAP. XII.

De Creta Insula.

AT insularum Græco littori objacentium maxima omnium est Creta, Græcis Latinisque monumentis plurimum celebrata. Hæc quidpe prima potuit navibus & sagittis ; prima Minoe duce classe pugnavit ; equestres pugnas prima docuit lascivas vertigines implicare ;

plicare ; prima litteris jura junxit ; ſtudium item Muſicum hinc initium cepit. Nomen deducunt alii à Crete Nympha, Heſperidis filia ; alii à Crete, rege Curetum ; quidam primum Aëriam, deinde Curetim, & Μακρόννησον nonnulli, id eſt, beatam inſulam à temperie cœli adpellatam exiſtimavêre. Incolæ Græcis dicuntur Cretes, Latinis Cretenſes. Inter ortum porrigitur Inſula & occaſum tractu longiſſimo, hinc Aſia illinc Africa objacentibus: à Septemtrione Ægæis & ſuis, id eſt, Creticis æſtibus verberatur ; ab Auſtro Libycis undis perfunditur & Ægyptiis. Longitudo ejus maxima à Samonio promontorio, nunc *C. Salamoni*, ad promontorium Corycum, nunc *Cornico*, milliar. Germ. LXX. Latitudo circa mediam ſui partem maxime patens milliar. German. XV.

Centum in ea urbium clara fama eſt. Sunt tamen etiam in antiquis auctoribus, qui non centum urbibus, ut prodiderunt qui prodige lingua largiti ſunt, ſed magnis & ambitioſis ſtipatam exiſtiment.

Clariſſimæ fuerunt, Cortyna, caput inſulæ; Cydon, quam Græci matrem urbium adpellavere ; Cnoſſus Minois regia, Therapnæ, Dium, Lyctus, Lycaſtus, Phæſtus, Manethuſa, Dictynna.

Montes item celebres, Dictæus, Idæus, Corycus, Cadiſcus. Labyrinthus in medio ferme fuit,


THRACIÆ
Descriptio.
DACIA ALPESTRIS.
MOESIA SUPERIOR.
Triballi.
BULGARIA.
THRACIA.
MACEDONIÆ PARS.
Moesia.
Peucestæ.
Troglodítæ.
PONTI EUXINI PARS.
Callatis
Tomis
Istropolis
Dionysopolis
Apollonia
Mesembria
Byzantium
Thracius Bosporus
PROPONTIS.
Cyzicus
Abydus
Dardanum
Sestus
Lampsacus
Parium
Priapus
Pactia
Alopeconnesus
Callipolis
Satide
Samos
Thasos
MARIS ÆGÆI PARS.
NATOLIÆ PARS.
Nicopolis
Philippopolis
Philippi
Neapolis
Amphipolis
Thessalonica
Stagira
Acte
Athos M.
Pella
Edessa
Berœa
Pydna
Olynthus
Potidæa
Torone
Scione
Mendes
Sithonia
Pallene
Cassandria
Strymon fl.
Nestus fl.
Hebrus fl.
Axius fl.
Haliacmon fl.
Peneus fl.
Lycus fl.
Scamander fl.
Simois fl.
Granicus fl.
Rhyndacus fl.
Hellespontus
Propontis
Ægæum mare

fuit, mirandum Dædali opus, itinerum ambages, occursusque ac recursus inexplicabiles continens, lapide polito, ac fornicibus tectum.

Incolæ perpetuo vitiosissimi & piratica infames, initio rerum regibus regebantur, post Ducibus. Q. Metellus insulam edomitam in provinciæ formam redegit; mansitque sub imperio, primum Romano, mox Constantinopolitano, donec cum reliqua Græcia à Saracenis occupata fuit. Recuperatam deinde Balduinus Flandriæ Comes & Imperator Constantinopolitanus, Bonifacio Marchioni Montisferrati dedit; à quo tandem Veneti grandi pecunia mercati etiam nunc tenent. *Candia* nunc à Metropoli sua indigitatur: habetque urbes claras quatuor, contra Turcarum irruptiones munitissimas; Candiam, Caneam, Rethymum & Sittiam. Archiepiscopatus est unus Candiæ; Episcopatus octo.

Cap. XIII.

De Thracia.

Post Strymona amnem Macedoniæ proxima est Thracia, inter validissimas Europæ gentes maxime fera & barbara; Regio nec cœlo læta, nec solo; &, nisi qua mari propior, infœcunda, frigida, eorumque quæ feruntur maligne admodum patiens.

Nomen

Nomen habere putatur vel à Thrace Martis filio ; vel, ut aliis videtur, ab asperitate soli cœlique & gentis feritate, quasi Τραχεῖα. Terminos habet, à Septemtrione Æmum montem, quo à Mæsis disterminatur ; ab Oriente Pontum & Propontidem ; à Meridie Ægæum mare : ab Occidente Strymona amnem. Longitudine occupat à Strymonis fontibus ad Panysi ostium & opidum Mesembriam mill. German. LXXX. Latitudine vero ab Æmo monte juxta Nicopolim ad Mastusiam Chersonesi promontorium mill. German. LX.

Divisam quondam fuisse in quinquaginta strategias, auctor est Plinius. Is populos in ea recenset, Strymonem amnem accolentes, Densseletas, Mœdos : ad Nestum amnem, Digeos, Bessorumque multa nomina inter Eleos, Diobesos, Carbilesos, Brysas, Sapœos, Hebrum accolentes, Odrysarum numerosam gentem, Odomantas, Carbiletas, Pyrogeros, Drugeros, Cænicos, Hypsaltos, Benos, Carpillos, Botiæos, Edones, Cicones, Bistones, Selletas, Priantas, Doloncas, Thynos, Celetas : omnium autem sævissimos Scordiscos memorat Florus.

CAP.

CAP. XIV.

De Vrbibus veteris Thraciæ, Fluviis ac Montibus.

OPida clara olim in Thracia fuere à Strymone amne in litore Ægæo, Oesyme, Neapolis, Abdera, à Diomedis sorore conditum opidum, unde & nomen habuit, idem & Clazomene dictum. fuit in eadem regione opidum Tinda, Diomedis equorum stabulis dirum; Maronea: inter hanc & Hebrum fluvium Doriscus locus, ubi Xerxem Persarum Regem copias suas, quia numero non poterant, spatio dimensum ferunt. Ænus ab Ænea profugo condita; paulumque à mari recedens ingens quondam Cypsella. In Chersoneso, quam Thraciæ cognominant, Cardia, Eleus & Sestus, cui objacet ex Asia Abydus, utraque Leandri amore nota. Prope regio, in qua Xerxes divisas pelago terras ponte (mirum atque ingens facinus) ausus jungere, & copias ex Asia in Græciam traduxit: Callipolis, cui oppositа in Asiæ litore Lampsacus: & in radice Chersonesi sedens Lysimachia. Inde in Propontide Pactya, Bisanthe, Perinthus, mirifico amphitheatri splendore clara; Selymbria, atque in ipso Bosphoro Byzantium, ante Lygus, postmodum Nova Roma, & noviſſime Constantinopolis, dictum.

ctum. Vrbs omni ævo clarissima, à Constantino Imperatore in sedem Imperii electa: mansitque eadem dignitate, donec Turcarum impia gens ann. cIↃCCCCLIII occupavit, neque tunc decus suum perdidit, cum etiam nunc imperii Turcici caput colatur nomine *Stambol.* De reliquo opida in Ponto, Phinopolis, Salmydissus, Peronticum, Apollonia paullum à mari recedens, magna quondam; Toza, Anchialus & Mesembria, terminus Thraciæ. Intus Byzya arx Regum Thraciæ, à Terei nefasto crimine, sic opinati veteres, invisa hirundinibus. Philopolis, antea Poneropolis, dein à situ Trimontium; Trajanopolis, Adrianopolis. à conditoribus dicta opida. Præterea Olynthus; vel clarissima Heraclea, Topiris & Philippi.

Fluvii & montes.

Fluvii celebres sunt, Nestus seu Nessus, Hebrus, Athyras, Bathynias. In montibus Æmus, Rhodope & Orbelus principatū tenent.

CAP. XV.

De incolis Thraciæ, & urbibus nunc claris: item de Patriarchis Græcanicæ religionis.

INcolarum Thraciæ antiquissima habetur origo. Vna gens habitarunt Thraces, aliis aliis-

aliisque discreti & nominibus & moribus, in universum feri, sævi, atroces & cruenti. Suis ante parebant Regibus; postea Macedonum tributarii facti: rursumque suo juri redditi, multis præliis à Romanis fusi, tandem à C. Scribonio Curione Procos. perdomiti, imperioque Romano subjecti sunt. Dehinc eadem qua Græcia ac Macedonia, usa est Thracia fortuna, donec in Turcarum manus pervenit; quorum imperio omne decus dignitatemque præstat. quidpe heic Turcarum caput ac sedes est Constantinopolis, ante memorata, urbium tota Europa omnium maxima ac populosissima; quam Constantinus Imperator Novam Romam adpellavit: unde novum nomen Thraciæ ortum, quo nunc *Romania* indigitatur.

Secundum à Constantinopoli locum inter Thracias urbes obtinet Hadrianopolis, Turcis *Endrem* dicta, magna quidem atque ingens, at mœnibus haud cincta, ædificiisque vilibus exstructa. Tertia Philippopolis satis numerose incolitur. nec cedit huic Trajanopolis. Sestus & Abydus sibi invicem objectæ, claustra Turcici imperii in his oris perhibentur.

Cæterum quia ad hoc loci perventum est uti Græciæ statum præsentem consideremus, operæ pretium est cognoscere, Græcos jam olim à Romana Ecclesia recessisse, nec Pon-

Pontificem Romanum ceu caput agnoscere. Religionem quidpe peculiarem inter se habent. diversam ab ea quam Romana Ecclesia profitetur. Nec soli Græci hanc sequuntur, sed complures aliæ nationes, Bulgari, Servi, Bosni, Sclavoni, Illyrii, Albani, Moldavi, Valachi, Russi, Muscovitæ, Tattari, Circassi, Mengreli, cunctæque nationes Ponticæ, & Tattarorum interior pars. Capita jam inde quatuor sibi constituerunt, quos Patriarcharum titulo reverentur. Horum, ut diversæ sunt sedes, sic in diversas regiones inspectio & regimen. Princeps & caput universæ Ecclesiæ Græcanicæ est Patriarcha Constantinopolitanus, à quo dependent quotquot Græcanicæ religionis Christiani per omnem Europam dispersi degunt. Alexandrinus, cujus *Cairo* in Ægypto sedes; qui & Arabiæ Ecclesias regit. Hierosolymitanus in Syria supremus agnoscitur. In reliqua Asia Antiochenus.

Cap. XVI.

De Mœsia.

SVpra Macedoniam ac Thraciam Mœsia est, quam Romani Cereris horreum ob fertilitatem soli adpellavere, ab Aureo & Scodro montibus intra Istrum & Æmum ad Pontum usque extensa; in Superiorem, quæ nunc


MOESIÆ et DACIÆ
Tabula Continens una Poloniam, Russiam nigram. etc.
PRUSSIA.
CASSUBIA.
Dantiscum
POMERELLIA.
Raigrad
Torunium
Uladislavia
MAZOVIA.
Cuiavia.
Guæsna
Lancicia
Posenania
MAIOR.
Schwibussen
Calisia
Warta
Warsovia
POLONIA
Petricovia
Breslaw
Lublinea
MINOR.
Oppelen
Troppa
Ratibor
Cracovia
Lublin
Chelm
RUSSIA
Sendomiria
NIGRA.
Wladimira
Peuce M.
Carpatus M.
Leopolis
Halicz
VOLYNIA.
Krzeminiec
Czuanow
Hypanis fl.
Brazlaw
Amadoca
Carpiani
Kamyniecz
Tyras flu.
PODOLIA.
Arpy.
Danubius flu.
Dolis
Tockey
Prendavesy.
Scarabantia
Vesperinum
Buda
Pestum
Copranita
HUNGARIA.
Cillei
Dravus flu.
Sagesta
CROATIA
Gradiska
Savus flu.
BOSNIA
Warbosania
ILLYRIS.
Salona
Narona
ADRIATICI MARIS PARS
Novagrad
Tauristi
Bistricia
Ratacensy.
Claudiopolis
TRANSILVANIA.
Medusus
Biephi
Alba Julia
Cibinum
Stephanopolis
Potulatensy
Cotensy
Cistobocy.
Margosest
Cacoensy.
Tiaphali.
MOLDAVIA.
Grauceny.
Tysmenitza
Tyragetæ.
Tarisko
Gruthungi.
Poledava
Danubius flu.
Arubium
Elauthene
Puecestæ.
PONTI Istropolis Tomo
Troglodytæ.
Himeratia
EUXINI Dionysopolis
Sarpedonia
PARS.
MOESIA INFERIOR.
Siginni.
Ordessus flu.
Piephi
Dombrovina
Albocensy.
DACIA RIPEN
Therviguv
Burhi
Saldensy
Rascia
Sindenrus
Cingi
Bolon
MOESIA.
Servia
GETÆ.
Bartlon
Capidava
BULGARIA.
Triballi.
SUPERIOR.
Cedrus flu.
DARDANIA
Vidina
Sophia
Philippopolis
THRACIÆ PARS.
Danubius flu.
Dalmatia
Mons
Mons
DACIA ALPESTRIS
DACIA WALACHIA
Coloma rum Provincia

nunc Servia est, & Inferiorem, quæ Bulgaria, divisa. Terminus in medio utriusque est Ciabrus fluvius. In superiori populorum quondam clarissimi Dardani, regioque ipsa Dardania, Macedoniæ contermina; In inferiori Triballi omnium nobilissimi: post hos Peucestæ & Troglodytæ, jam Scythicæ gentes: infimam quidpe inferioris Mœsiæ partem, quæ ad Pontum accedit, Scythæ tenuerunt: quorum pars validissima Getæ ad utramque Danubii ripam, hinc in Mœsos illinc in Dacos transeuntes.

In Mœsia dextram Danubii ripam frequentibus olim opidis stipatam fuisse, Ptolemæi testatur Geographia, idemque in mediterraneis haud modicum eorum numerum recenset. At in litore Pontico clara maxime fuere, Sarpedonia, Dionysopolis, Timogetia, Tomi, Ovidii Poëtæ exilio nobiles, Istropolis & Eleutheræ.

De Istro amne.

Ister fluvius omnium Europæ maximus, in Germaniæ jugis Abnobæ montis ortus, per multas lapsus gentes Danubii nomine, immenso aquarum auctu, & unde primum Illyricum alluit, id est, ad Savi confluentem, Ister quondam adpellatus, sexaginta circiter amnibus receptis, medio ferme eorum numero navigabili, in Pontum vastis sex flumi-

minibus sive ostiis evolvitur. Singula autem ostia tanta sunt, ut prodatur, in quadraginta millia passuum, id est, mill. German. x. longitudinis, vinci mare, dulcemque intelligi haustum. German. vulgo *die Donavv*, Sarmatis ac Scythis *Dunay*.

De incolis Mœsiæ, & duobus novissimis in ea regnis, Servia ac Bulgaria.

Mœsos populos feros, truces Barbarorumque barbaros, à Thracibus genus duxisse, tradunt auctores: cum ipsa Mœsia pars aliquando Thraciæ fuerit. M. Licinius Crassus perdomitos imperio Romano subjecit. Deinde in Superiorem Mœsiam Servi, Inferiorem Bulgari, utraque ex Sarmatia Asiatica advena gens, invecti, duo inibi regna de suo nomine, hi Bulgariæ, illi Serviæ, condiderunt. At novissimi Turcæ in utrumque effusi etiamnunc tenent.

Caput regni Serviæ regumque quondam sedes, Senderovia, Vngaris *Zendrevv*, Turcis *Semender*, ad Istri ripam sita: Præterea *Vidna*, *Bodon* & *Novograd* nobilia sunt opida; quorum hoc arce munitum inexpugnabili. At Bulgariæ regni caput est *Sophia*, urbs magna & populosa.

CAP.

Cap. XVII.

Summa universæ Scythiæ descriptio. Item de veteri Scythia Europæa.

TRans Istrum Mœsis contermina est Scytharum gens omnium toto orbe vastissima, quidpe ex Mœsia Inferiori in Asiam ad *Tabin* usque promontorium & fretum *Anian*, longitudine terrarum mill. Germ. cIↃ amplius occupat. Latitudine vero ab Oceano Septemtrionali ad Caucasum montem fontesque Indi fluminis mill. Germ. circiter LX. Dividitur autem universa Scythia in Europæam & Asiaticam. De hac posterius in ipsa Asia; nunc Europæam prius expediamus.

Scythia Europæa.

Terminatur Europæa ab Occasu Patisso flumine, ab Septemtrione linea à Patissi fontibus per Amadocam paludem (quæ est in Lituania) ad Borysthenis fonteis, atque inde alia linea ad Tanais ortus ducta; ab ortu ipso Tanai & Ponto Euxino: à Meridie Istro, & ubi is ad Nicopolim inflectitur, recta linea ab Occasu in Orientem ad Pontum ducta.

Totum hoc terrarum variis gentibus ac populis distinguitur; quorum clarissimi, præter Troglodytas in Inferiore Mœsia commemoratos, Daci; quorum regionem nunc

tenent Moldavi, Valachi, Transsilvani, & Hungarorum pars inter Patissum amnem & Transsilvaniam; Getæ, quos ad utramque Istri ripam in Mœsiam & Daciam extendi, ante diximus; nunc Bulgarorum & Moldavorum pars: Tyragetæ & Arpii inter Tyram flumen & Istrum; nunc inferior Moldaviæ pars Ponto objacens: Inter Tyram & Hypanim amneis, Carpiani, Callipides, Istrici, Axiaces & Iazyges Eneocadlæ; quorum omnium solum nunc Podolia: Bastarnæ, iidem & Peucini, quorum pars una in Germania, pars altera in Scythia Europæa; nunc Russia minor seu Nigra: Borysthenitæ, inferior Lithuaniæ pars versus Pontum: Neuri, ad Borysthenis fonteis: inde Geloni, Thussagetæ, Budini & Agathyrsi, in Moscovia inter Borysthenis fonteis & Tattariam minorem: Alani ac Roxalani in Moscovia, ad sinistram *Donetz*, id est, minoris Tanais ripam: Hamaxobii sive Hamaxobitæ, ad Gerrhi fluminis fonteis in Tattaria minore: Georgi, Nomades, Basilides & Tauroscythæ sive Scythotauri, itidem in Tattaria minori: Tauri sive Taurici, qui Tauricam sive Scythicam Chersonesum incoluerunt: In his Bosphorani utrimque Bosphorum Cimmerium accolentes: Iazyges Mœotæ, juxta Mœotim paludem ad Tanaim usque protensi: Arimaspi & Essedones ac Tanaitæ ipso Tanais flexu cincti.

CAP.

Cap. XVIII.

Dacia.

TRans Istrum igitur Mœsis contermini fuerunt Daci Scythica gens, fera, atrox & barbara. Regio ipsa Dacia terminatur à Septemtrione Carpathicis jugis & Hieraso amne; ab Oriente eodem Hieraso & Istro; à Meridie itidem Istro; ab Occidente Patisso. Complectitur hodie Hungariæ partem, prædictam Transsilvaniam, Valachiam & Moldaviam fere totam.

Divisa fuit olim in Ripensem, Alpestrem & mediterraneam. Ripensis est, quæ hodie dictam Hungariæ partem complectitur, cum parte Valachiæ. In hac populi Prendavesii, Albocensii, Saldensii, Tervingi, Burrhi, Cingesi. Alpestrem nunc incolunt major pars Valachorum & Moldavi. Quondam in ea populi Piephigi, Siginni, Sinsii, Cotensii, Taiphali, Cacoensii, Cistoboci. Mediterranea, quæ & Gepidia, tota nunc est Transsilvania. In hac olim populi Potulatensii, Buridiensii, Biephi, Ratacensii, Taurisci.

Vrbs olim clara fuit Vlpia Trajana, ante Zarmisogethusa dicta; nunc *Varheli* eodem situ est in Valachia.

Fluviorum celeberrimi: Marisus, Germ. *Marisch*, Hung. *Maros*; & Aluta, Germ. *die Alt*, Hung. *Olt*.

De incolis Daciæ.

Incolas ante Getas fuisse tradit Plinius; Dacos postea à Romanis adpellatos. Getarum nomen mansit circa utramque Istri ripam, ut ante dictum. Regibus illi suis regebantur, donec Trajanus Imperator Daciam perdomitam in provinciæ formam redegit. Postea Sarmatæ invecti. dein Gothi, moxque Hunni. Post hos Saxones Germanica gens, à Carolo M. devicti, cum leges victoris ferre nequirent aut nollent, in universam Daciam transierunt. Hinc etiamnum frequens, licet corruptus, in iis oris durat Germanicus sermo. Exinde eadem gens, quæ Pannoniæ partes occupaverat, Hungari Saxonibus sese miscuerunt. unde mixta nunc utriusque gentis lingua. Tum vero divisa fuit universa Dacia in nova nomina. Ea pars quæ Patisso amni annexa, *Hungariæ* titulo accessit. Quæ ante Dacia mediterranea erat, Transilvania adpellata: Inter hanc & Istrum Valachia: Inter hanc & Hierasum Moldavia; cujus titulo etiam adjectum quicquid inter Hierasum & Tyram amneis interjacet.

Cap. XIX.

Transsilvania, Valachia & Moldavia descriptio.

Transsilvania.

Transsilvaniæ Principatus, qui silvis undique, unde ei nomen Latinum, & montium jugis clauditur, Hungarice *Erdeli*, Germanice *Siebenbürgen*, Saxonibus haud dubie à septem opidorum numero dictus est. Qua ratione etiam nunc Sarmatis seu Sclavis *Siedmgrodska ziemia*, hoc est, Septemcastrensis regio, indigitatur. Postquam Saxones colonos recepit, cultius habitari cœpit. Namque opida in ea illi condiderunt, quæ in hanc diem clara sunt.

Cibinium sive Hermanopolis, vulgo *Hermanstadt*, caput provinciæ est: Alba Iulia, Germ. *Weyssenburg*, Hung. *Gulaseirvvar*, Principis superioribus annis sedes: Claudiopolis, Germ. *Clausenburg*, Hung. *Colosvvar*: Bistricia, Germ. *Bistriz*, Hung. *Besterze*: Sciburgium, Germ. *Schiesburg*, Hung. *Segesvvar*: Mediesus, German. *Medvvisch*, Hung. *Megies*: Stephanopolis seu Corona, German. *Croonstadt*, Hung. *Breslavv*.

Valachia ac *Moldavia.*

Quæ nunc duæ regiones Valachiæ ac Mol-

daviæ nominibus distinguuntur, superiori ætate uno Valachiæ vocabulo censebantur. Incolis *Woloska Zemla*, id est, Valachia terra, & gens ipsa *Wolochy*. Dividebatur autem tota provincia in Majorem & Minorem: Major postea Moldaviæ nomen recepit. Minori Valachiæ titulus remansit. Quæque suo parebat Principi seu Duci, quem Sarmaticæ gentis vocabulo, *Wayvvodam* adpellant. Polonis quondam utraque stipendiaria. Nunc partem Hungariæ Rex, partem Turcarum Imperator tenet. Valachiæ caput ac sedes Vaivodæ est *Targovvisko*. reliqua loca sunt *Brailovv*, & *Dombrovvitza*. Moldaviæ caput est ac Vaivodæ sedes *Czukavv*. reliqua opida sunt, *Margoseſt*, *Tarisko*, *Moncastro*.

CAP. XX.

Tattaria minor; ubi Taurica Chersonesus.

TAttarorum nomen longe lateque per Asiam & Europam dispersum est; cujus limites postea in Asia dicemus. at nunc de parte ejus agamus, quæ Tattaria Europæa sive Minor dicitur.

Tattaria igitur minor, sive Præcopensium Tattarorum regnum, est ea Scythiæ Europæ pars quæ fluviis Borysthene & Psola ac Desna (quæ duo in Borysthenem exeunt) & Tanai


RUSSIA
cum Confinijs.
Mourmanskoy
more.
Nova
zemla
Lapmarck.
Lappia
Carelia
SUE
CIA.
Condora
Obdora
Sukus
Iugoria
Pega orda
Permia
Pellin
Wiatka
Wetka
Cazan
Wolodimera
Moscovia
Severa
MORDWA
Prussia
Polonia
Sandomira
Cracovia
Podolia
Moldavia
Bialogrod
EURO-
PÆ
PARS.
Turemen
IVRMEN
TARTARIÆ PARS.
ASIÆ
PARS.
Astracan.
Circassi
Cabarda
Petigori
CRIMEA
TARTARIA PEREKOPENSIS
MARIS CASPII
PARS.
PONTUS EUXINUS.
50
55
60
65
70
75
80
85
90
95
100

Tanai minori, vulgo *Donetz*, ipsoque Tanai, Mæoti palude ac Ponto cingitur. Quinam antiquitus populi has oras incoluerint, supra demonstratum est. Cæterum omne litus hujus tractus Græcorum coloniis juxta atque monumentis inclytum fuit : maxime vero Taurica Chersonesus, non minus quam ipsa Græcia celebrata. In hac Græcorum urbes claræ, Panticapæum, nunc vulgo *Pontico*; Cimmerium, in medio Chersonesi; Taphros, nunc *Przekop*; & Theodosia, nunc *Kaffa*.

Scythæ in universum tenuerunt : at postquam *Tattari*, ex Asia profecti, occuparunt, *Tattaria* dicta est, Minorque cognominata, ad differentiam Majoris quæ est in ipsa Asia.

Divisa est in Præcopensem & Cremeam. Præcopensis, quæ Sarmatis *Przecopska* dicitur, est ipsa Chersonesus Taurica, à *Przekop*, id est, fossa, quæ in Isthmo facta est, seu ab opido ejusdem nominis huic adposito, cognominata. Cremea, *Krymska* incolis, est reliqua pars extra Chersonesum, à *Krym* opido, quod olim Cremnos, dicta. At quia imperii sedes est in Chersoneso, tota Tattaria Minor Præcopensium Tattarorum regnum adpellatur. Ipsa gens fera, atrox ac rapida, non in opidis vel civitatibus, sed campis ac silvis vaga agit. Vnius regis Imperio parent, cujus regia est *Przekop*.

Cap. XXI.

Sarmatia Europæa.

Ultimi Europæarum gentium fuere Sarmatæ, Græcis dicti Sauromatæ, regionem totius Europæ latissimam incolentes, in Scythiam quoque Europæam protensi: quin etiam in Asiam usque ad Hyrcanum mare nomen eorum pertinebat; ubi Sarmatæ Asiatici dicebantur.

Sed Europææ Sarmatiæ limites fuerunt, ab Occidente Vistula amnis, Suevicum mare, Finnicus sinus, & linea ab hoc sinu ad sinum Granvicum sive lacum Album perducta; quibus à Germania separatur: à Septemtrione Oceanus Sarmaticus, sive mare concretum: ab Ortu iidem limites qui Europæ: à Meridie Mæotis palus, Isthmus Tauricæ Chersonesi, Pontus, Ister, & Hierasus; dein Carpatici montes, ubi in cuneum inter Patissum Istrumque procedit.

Longitudo ejus porrigitur ab Istri ac Patissi confluentibus ad Obii ostium mill. German. IↃXL. Latitudo vero inter Rha fluvium & dictum sinum Granvicum CCCLX.

Complectitur hodie Moldaviæ partem, inter Tyram, Istrum & Hierasum amnes; Hungariæ partem inter Patissum & Istrum; Poloniæ regnum ultra Vistulam, Borussiam Livoniam,

voniam, Lituaniam, Russiam Albam, hoc est, Magni Ducis Moscoviæ imperium, & minoris Tattariæ partem, quæ Cremea dicitur.

Populorum in universa Sarmatia Ptolomæus complura nomina recenset. at ut regio hæc Romanis pariter ac Græcis parum nota, sic illa incerta. Clarissimi tamen ac notissimi, præter eos quos in Scythia Europæa explicuimus, erant Germanis contermini Venedi, qui nunc sunt Livones, Borussi ac Poloni inter Vistulam, Lituaniam & Podoliam, tum Iazyges inter Istrum & Patissum, quos Ptolemæus Metanastas cognominat, id est, Vagos: Plinius Sarmatas affirmat: Tabula itineraria Sarmatas Vagos.

CAP. XXII.

De incolis Sarmatiæ, fluviis ac montibus: item de Hyperboreis.

GEns quidem universa Græcis Sarmatæ dicta fuit, habitu, armis, moribus vivendique ratione Scythicæ ac Parthicæ similis; ideoque ejusdem originis cum his fuisse conjicere licebit. Verum quum sibi ipsis dicti sint *Russacy*, & ad Riphæos usque montes incoluerint, eosdem esse credibile est, quos Mela Riphaces adpellat, tanquam posteri Riphati Noachi abnepotis. Cæterum de rebus gestis ipsorum, antequam sub Slavorum no-

mine noſci cœperunt, parum in veterum monumentis reperitur.

Sarmatiæ fluvii.

Flumina in Sarmatia, præter ea quæ in Pontum defluere diximus, fuere, Suevicum mare ſive Codanum ſinum petentes, Chronus, vulgo Germanis accolis *Mämmel*, Polonis *Niemen*: Rubo in Venedicum ſinum, qui nunc accolis *der Riegish Bodem*, prope Rigam ſeſe exonerans; nunc *Diviná* Polonis, *die Dune* German. Turuntus in Moſcovia, nunc *Weli karzeká*: & Cheſinus, in Clylipenum ſive Granvicum ſinum ſeſe evolvens: nunc Ruſſis accolis *Lovvat*, & poſtquam emenſus aliquod ſpatium, *Wolchovv*.

Montes.

Montes ſunt, Carpates, nunc *Krápak*, Poloniam ab Hungaria ſubmovens: Riphæi, qui & Obii, à ſinu Albo ad Obii oſtium extenſi; Ruſſis ſive Moſchis nunc *Weliki kameny poyas*, id eſt, magnum lapideum cingulum dicti, quia orbis cingulum eos perhibent.

Hyperborei.

Sed operæ pretium fuerit hoc loco cognoſcere ea, quæ de Hyperboreis, fabuloſis celebrata miraculis gente, veteres tradiderunt. Hos alii Europæ, alii Aſiæ dederunt, pleri-

plerique utrique. Fuerunt (si fuisse credimus) supra LX gradum in litore Septemtrionalis Oceani, ultra Aquilonem (unde & nomen eis à Græcis quæsitum) Riphæosque montes sub ipso siderum cardine. Regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxio carens, per se fertilis. Cultores justissimi & diutius quam ulli mortalium & beatius vivebant. Quidpe festo semper otio læti non bella noverant, non jurgia, non ægritudinem ullam: ad innocentiam omnem æquale votum. Domus iis nemora lucique, & Deorum cultus viritim gregatimque. in diem arbores victum subministrabant. Mors non nisi satietate vitæ. ubi eos vivendi tædium ceperat, mortem ultro accersebant & voluntario interitu castigabant obeundi tarditatem. Epulati delibutique senes luxu, ac sertis redimiti, semetipsos in pelagus ex certa rupe præcipites dabant. quod genus sepulturæ beatissimum existimabant.

Cap. XXIII.

De Poloniæ regno Provinciisque ei subjectis.

Polonicum regnum, quod vastum nunc obtinet terrarum spatium, à principio arctis includebatur finibus; quidpe cujus summa longitudo inter occasum & ortum

à *Schvvibuſſen* proximo Sileſiæ opido juxta *Croſſen* ad *Leucznam* proximum Ruſſiæ opidum, non excedebat mill. German. LXXX. Latitudo vero maxime ſinuata inter fontem Viſtulæ, & opidum Moſcoviæ *Wongrovv*, mill. LX. Verum acceſſerunt poſtmodo ejus titulo, Lituania, Ruſſia Nigra ſive Minor, Podolia, Volinia, Podelaſſia, Maſovia, Pruſſia, Samogitia & Livoniæ major pars.

Sarmatæ, ut ante retuli, hæc omnia primo tenuerunt, præter eam Poloniæ partem, quæ in veteris Germaniæ ſolo citra Viſtulam ſita eſt. Quanquam & Pruſſiam & Livoniam Germanica gens, ut in Germaniæ deſcriptione ex Tacito demonſtravimus, ab initio incoluit; quæ in hanc diem perpetuo manſit. Solum eſt in univerſum frumento fertiliſſimum; niſi qua ſilvæ vaſtiores intercedunt.

Termini autem totius regni Poloniæ ſunt, à Septemtrione mare Suevicum & ſinus Venedicus, lineaque à Pernavia Livoniæ opido ad Dunæ fontes ducta; qua Sol exoritur, Boryſthenes, ſive *Dnieper*; à meridie Tyras, ſive *Nyeſter*, & Carpates mons; qua occidit Sol, Sileſiæ & Marchiæ Brandeburgicæ Pomeraniæque junguntur.

Longitudo harum finium ſumma eſt, inter duo opida *Schvvibuſſen* ante dictum & *Czyrkaſſy* in ripa Boryſthenis ſitum, mill. German. CC. Latitudo inter Pernaviam Livoniæ

opidum

opidum & Carpatem montem supra Transsilvaniam milliar. CL.

Dividitur in regiones ac Provincias supra dictas; quarum singulas explicare aggrediemur.

Cap. XXIV.

Polonia proprie dicta.

POlonia proprie dicta, incolis *Polska*, à vocabulo *Pole*, quod Slavonica lingua campum significat, notationem accepit; quia tota campestris est ac plana.

Dividitur in Majorem & Minorem. Major Germaniæ contermina est; Minor Moraviæ, Hungariæ ac Russiæ. Minor supremam nunc fert dignitatem ab urbe Cracovia regni capite. At Major dicta fuit altera, cum divideretur regnum, quia illic sedem fixit Lechus gentis conditor.

Polonia Major.

Majoris caput est Posenania, incolis *Posnan*, German. *Posen*, urbs præclara ac supra Polonorum cultum splendida emporiumque celeberrimum. Secunda est Gnæsna, incolis *Gniezno*, German. *Gniesen*, mercatu nobilis, antiquissima Polonicarum, primaque sedes Principum. Reliqua opida sunt, Calisia, Ptolemæo memorata, Polonis nunc *Kalisz*: Lanci-

cia, *Plotsko*, & Petricovia, vulgo *Piotrkovv*, Iuridico conventu (tribunal incolæ vocant) maxime celebris.

Polonia Minor.

Princeps Minoris est Cracovia, vulgo *Krákovv*, caput decusque totius regni ac sedes regia: urbs magna atque ingens, & licet inter incultas, ipsa tamen magnifica admodum & superba. Corrodunum esse Ptolemæi, haud male conjiciunt docti viri. Secunda à Cracovia est Lublinum, vulgo *Lublin*, urbs egregia ac lauta, negotiationibus sublevata: quidpe mercatus est totius regni nobilissimus. Tertia est Sendomiria, Polonis *Sendomierz*.

Cæterum à Lecho primo gentis conditore Principes populum rexerunt adusque Boleslaum Chabrium, qui primus Poloniæ Rex ab Othone III Roman. Imperatore circa ann. cIↃ pronuntiatus est.

CAP. XXV.

Lituania, Russia & Podolia.

LItuania, Polon. *Litvva*, German. *Littavven*, suos habuit antea Principes, magni Ducis titulo illustres, donec Iagello ann. cIↃCCCLXXXVI in Regem Poloniæ electus magnum Lituaniæ Ducatum Polonico regno adjunxit. Regio est totius regni vastissima,

ma, silvis horrida, paludibus fœda. Longitudo ejus maxima inter Polotæ fluv. fontes (qui sunt in confinibus Livoniæ & Moscoviæ) & *Dassovv* proximum Ponto opid. milliar. German. CCLX. Latitudo inter Chronum & Borysthenem amnes milliar. LXXX.

Vrbibus, vicis atque ædificiis tota regio plane inculta est. Caput est Vilna, German. *Wilde*, ampla ac spatiosa, Cracoviæ magnitudinem exæquans, at ligneis plurimum constans ædificiis. Major equidem hac, at incultior, Novogardia, vulgo *Novvigrod.* Clara item atque magna est Kiovia, vulgo *Kijovv*, ad Borysthenem sita. *Dassovv*, ad Pontum accedens, veterum est Ordessus. *Kavvno*, German. *Kavven*, Mulso quod vulgo *Medum* vocant, nobile est opidum.

Russia Nigra.

Provincia hæc inter Poloniam Minorem, Voliniam, Lituaniam, Podoliam, Moldaviam, Transsilvaniam & Hungariam sita, Minor dicitur Russia, sive Russia Nigra, Pol. *Czarna Rusz*, ad differentiam Majoris sive Albæ, quod est Moscoviticum Imperium. Latine Russos & Ruthenos vocant incolas, quos à Roxolanis originem atque nomen habere putant. Ea pars quæ Carpaticis affixa jugis, incolis *Podogorze*, quasi submontana, indigitatur.

Suos

Suos aliquando Russia habuit Duces; postmodum Poloniæ regno adjecta.

Caput Ducatus est Leopolis, Pol. *Lvvovv*, German. *Levvenburg*, quod contracte *Lemburg* efferunt; emporium Turcicis mercibus celeberrimum. Reliqua opida sunt, *Przemyśl*, *Hálycx*, *Chelm*.

Podolia.

Podolia, Pol. *Podole*, inter Moldaviam, Russiam Nigram, Voliniam & Lituaniam sita, vastissimis campis, pecori quam hominibus alendis benignior, pascuis gaudet mirum in modum luxuriantibus; adeo ut boum ingentium immania cornua vix è gramine appareant.

Caput regionis est *Kámienijecz*, urbs mira ac stupenda natione in arduo saxo condita; qua re, cum sæpius à Tattaris, Turcis ac Valachis peteretur, inexpugnabilis exstitit. Reliqua loca sunt, *Chmielnik*, *Tzudnovv*, *Bratzlavv* & *Orczakovv*, quot Tattari occupatum tenent.

CAP.

CAP. XXVI.

Volinia, Podelassia, Masovia, Livonia, Samogitia.

Volinia.

VOlinia, Pol. *Wolin*, inter Poloniam, Lituaniam & Russiam Nigram porrecta, opida præcipua habet, *Lutzko*, *Wlodimirz*, & *Krzemieniec*.

Podelassia.

Podelassia, Pol. *Podlasze*, inter Lituaniam, Masoviam & Borussiam posita, Lituaniæ quondam pars, singularis postea provincia facta, Poloniæ titulo accessit. Loca notiora sunt, *Bielsko*, *Tykoczyn*, *Augustovv*.

Masovia.

Masovia, Pol. *Mozovvsze*, German. *die Masavv*, inter Borussiam, Poloniam & Podelassiam sita, suos habuit ante Duces; quorum stirpe exstincta, Ducatus ann. cIↃIↃXXVI. Poloniæ titulo insertus est. Caput provinciæ est Varsavia; Pol. *Wárszavva*. Germ. *Warsavv* regni comitiis, quæ heic haberi consueverunt, celebris.

Livonia.

Livonia, German. incolis *Liefland*, nobilissima

lissima atque amplissima regio, ab Septemtrione Finnico sinu terminatur; ob Oriente Narva amne & *Peybas* lacu, & Magnæ Russiç Lituaniæque latere Occidentali; à Meridie linea ab opido Lituaniæ *Dodina*, in ripa Duinæ fluvii posito, ad *Memmel* Borussiæ opidum perducta; ab Occasu mari Suevico. Longitudo summa inter Narvam & *Memmel* mill. xc. Latitudo inter mare & *Dodina* mill. lx. Dividitur in quatuor partes, quarum nomina incolis, *Esten*, *Letten*, *Curland* & *Semigallen*. Harum prima Suedicæ est ditionis, reliquæ Polono parent: Insula *Oosel* ad Danum spectat.

Princeps urbium est *Riga*, nobile emporium, nec inferior commerciis Rivalia, vulgo *Revel*, Esteniæ caput. Tertia est Dorpatum, vulgo *Derpt*; Veneda, vulgo *Wenden*, Venedico obversa sinui, Magistri militiæ ordinis Teutonici sede nobilitata. Curlandiæ, quæ superioribus annis in Ducatum una cum Semigallia elata, caput *Goldingen*. Ducum autem sedes *Mitovv*.

Samogitia.

Samogitiæ Ducatus inter Livoniam & Borussiam situs, nullo neque opido, neque castello, neque eximio aliquo ædificio insignis, silvis ac nemoribus horridus, solo melle, quod heic præstantissimum colligitur, notus est.

CAP.

CAP. XXVII.

De Borussia & Cassubia: item de Episcopatibus & Academiis regni Polonici.

PRussia, vulgo *Preussen*, amplissima atque illustrissima regio, fluviis ac lacubus stagnisque frequenter rigua, frumento maxime ferax, quibusdam dicitur perperam Borussia, quasi à Borusсorum antiqua gente, quam Ptolemæus in Moscoviæ tractu ponit, hanc huc transiisse suspicantur. Alluitur à Septemtrione sinu Codano & Chrono flumine; ab Ortu clauditur Lituania & Podelassia; à Meridie Masovia & Polonia: ab Occasu Cassubia. Porrigitur in longum à Chroni ostio, ad Toruntum urbem in ripa Vistulæ, mill. German. XLV. In latum ab opido Podelassiæ *Raigrod*, ad Vistulæ ostium, totidem.

Divisa hodie est in Regalem, quæ immediate Regi paret; & Ducalem, quæ Marchionibus Brandeburgicis in feudum concessa.

Regalis Borussia.

In Borussia Regali clarissima urbium Gedanum, quæ & Dantiscum, vulgo *Danzighe*, nobilissimum Suevici maris Emporium, totius regni granarium, civitas dives & opulenta; mœnibus, fossa ac vallo munitissima. Secunda ab hac est Torunium, vulgo *Thoorn*: celebre

celebre quondam emporium, antequam Gedanum ad id fastigium perveniret; nunc nundinis maxime clarum. Elbingium, vulgo *Elbing*, Anglorum opibus, qui pannis heic negotiantur, in singularem nitorem indies crescit.

Reliqua opida notiora sunt, Mariæburgum, firmissimum munimentum; Grudontia, Bromberga, Culmia: hæc antiquissima & opulentissima quondam urbs. Braunsberga publico Iesuitarum collegio famigeratum opidum.

Borussia Ducalis.

Ducalis Borussiæ caput ac sedes Ducum est Regius mons, vulgo German. *Koningsberg*, Pol. *Krolevviec*; urbs nobilis & celebre maritimis mercimoniis emporium. Est præterea versus Septemtrionem ultima *Memel*, arx munitissima.

Cassubia.

Cassubiæ Ducatus, inter Borussiam ac Pomeraniam situs, latior olim erat, quam nunc patet. Quidpe tota ea Borussiæ pars quæ circa Vistulam Pomerellia nunc dicitur, Cassubiæ Ducibus ante parebat.

At ejus quæ nunc Cassubia nuncupatur, caput est Conicia, Polon. sive Cassubiis incolis *Chonitza*, German. *Konitz*. Reliqua opida sunt, *Slochovv*, *Butovv*, *Lavenburg*.

Episco-

Episcopatus & Academiæ Polonici regni.

Archiepiscopatus in universo regno sunt tres, Gnæsnensis, Leopolitanus & Rigensis. Episcopatus XVI. Academiæ duæ, Cracoviensis & Regiomontana.

Cap. XXVIII.

Moscovia sive Russia Alba Magnus Ducatus.

Ultima Europæ regio est Russia Alba sive Major, omnium vastissima; inculta, ac paludibus silvisque invia. Eadem Moscovia à capite suo. Gens ipsa rudis, perfida, servituti supra modum addicta, vulgato nomine nunc Moscovitæ adpellantur.

Finitur ipsa regio à Septemtrione mari concreto, ab ortu iisdem finibus quibus Europa, hoc est, Obio ac Tanai amnibus: à Meridie Tanai minore, vulgo *Donetz*, Desna & Psola; ab Occasu Borysthene & Narva lineaque inter horum fontes ducta.

Longitudo summa inter promontorium Litamin, vulgo *Capo Oby*, & Psolæ confluentem, ad opidum *Czerkassy*, implet mill. Germ. CCCLXXX. Latitudo inter *Corelenberg* opidum in confinio Finlandiæ, & Obium flumen, juxta opidum *Lepin*, mill. CCC.

Dividi-

Dividitur in complures Ducatus ac provincias, quæ plerumque à præcipuis urbibus denominantur.

Ducatuum princeps est Moscovia, incolis *Moskvva*; cæteri, *Wolodimir*, *Mosaysko*, *Tvver*, *Ruzovva*, *Nissy Novvogorod*, id est, inferior Novogardia, *Zezan*, *Worotin*, *Smolensko*, *Biela*, *Pleskovv*, *Weliki Novvogorod*, hoc est, Novogardia magna, *Bielejezero*, *Iaroslavv*, *Svviera*.

Principatus, *Rostovv* & *Suldal*.

Provinciæ, *Wolska*, *Córella*, *Wologda*, *Vstiug*, *Dvvina*, *Wiatka*, *Iuhora*, *Petzora*, *Condora*, *Permen*. *Czeremyssi gorni*, *Czeremyssi Lugovvi*, *Mordvva*, *Kargapole*, *Meschora*.

Vrbes Moscovia.

Vrbes in hac regione cunctæ constant ligneis ædificiis, ac luto illitis; amplæ quidem sunt, sed quarum viis sæpe latissimi campi intercedant.

Caput imperii est *Moskvva*; urbs supra modum atque fidem magna, ut quæ quadraginta unum & quingenta ædificiorum millia complectitur. Arx est in ea magni Ducis, quem incolæ *Czar*, id est, Imperatorem vocant, domicilium viginti millium hominum capax; quos præsidii causa Magnus Dux perpetuo alit.

Reli-


ASIA
EUROPÆ
PARS.
MARE
TAR-
TARI-
CUM
RVSSIA.
Polo-
nia.
Mosco-
via
TARTARIA
Pontus Euxinus
NATO-
LIA
Mare de Sala
Samar-
chand
PERSIA
FARSI
Syria
Aiaman
AFRI
Arabia Fe-
lix
MARE ARA-
BICUM et
INDICUM
INDIA INTRA
GAN. Fluvius
INDOSTAN
GEM
Cambaia
Golfo
de
Bengale
Ceylan
OCEANUS
PARS
ORIENTALIS.
Equator
OCEANVS
CHINENSIS
Philip-
pinæ
Inſ.
Bor-
neo
Celebes
Iava
I. Timor
S. Iuan
Archipelago
S. Lazaro.
Moluccæ
Banda
Sunda
Sumatra
Malacca
Pegu
Siam
Cochin
China
Pa-
ma
Laos
Corea
Iapan
Mongal
Tartaria
Coraccorum
Caicum
Cingui
Tangut
Tibet
Zobeg
Mien
Pegu
Bengala
Arracan
Tanaſſari
Quachio
Tachoi
Laslo
Liampo
Liammay
Bocchi
Gueichi
Pechin
Fungo
Bungo
Meaco
Firando
Nangasaqui
Amanguchi
Xuchiu
Xocheu
Cauchin
Chinæ
Lequio
Ilhas
Iapon
Corea
Oriſſa
Ganges
Narſinga
Ormus
Mecha
Zeila
Zanzibar
Mozambique
Madagaſcar
Ilha de Moſambique
Ilhas de Comoro
Ilhas de Querimba
Ilhas de Abrolhos
I. de Diego Gonçalo
I. de Pedro
Baixos d'Chagos
Ilhas de Maldiva
Maldiva
Laccadiva
Ilhas de Maldiva
Ilhas de Maldiva
Ilhas de Mald

Reliquæ urbes sunt totidem fere, iisdemque nominibus, quot Ducatus ac provinciæ. Quarum *Wolodimir* caput erat ante imperii. *Vstiug* celeberrimum totius Russiæ in mediterraneis emporium. Maritima emporia sunt S. Nicolai & S. Michaëlis Archangeli opida, à Belgis, Anglis, & Germanici Suevicique maris accolis frequentata. In opidum *Bielejezero*, quod in lacu conditum, bello ingruente, thesauros Magnus Dux abscondit.

Sunt præterea Magni Moscoviæ Ducis imperio subjectæ Tattarorum quædam nationes Asiaticæ, de quibus postea in ipsa Asia.

LIBER QVINTVS.

CAP. I.

Summa Asiæ descriptio.

EXplicatis omnibus Europæ partibus, tempus est Tanai trajecto Asiam ingredi. hæc quidpe Europæ connexa, imo innexa, cum & Scythæ Asiatica gens in Europam amplissimo tractu protendantur, & Sarmatæ gens Europæa ultimos fines in Asiam non minori tractu extendant.

Ipsa terra Asia ab initio rerum omnium nobilissima; ut quæ prima genus mortalium intra

intra se conspexit & in alias mundi partes emisit. Prima gentium, ritus, sacra, mores, rationemque vivendi alias docuit. hæc denique est quæ Deum ipsum humana specie tulit.

Dictam Græcorum alii volunt ab Asia Nympha, Oceani & Tethyos filia, Iapethi conjuge, alii ab Asio Manei Lydi filio.

Fines sunt ab Septemtrione Oceanus Scythicus; ab Oriente mare Eoum; à Meridie mare Indicum, sive Rubrum; ab Occidente sinus Arabicus & Isthmus qui est inter sinum Arabicum & mare internum: atque inde maria Phœnicium & Ægæum, Propontis, Pontus, Mœotis lacus, Tanais amnis & Obium flumen.

Longitudo ejus summa est inter Hellespontum & Malaccam extremum Indiæ emporium mill. German. cIↃccc. Latitudo inter fauces Arabici sinus & *Tabin* promontorium, quod est ad fretum *Anian*, milliar. cIↃ ccxx.

Divisa fuit olim universa in Majorem & Minorem. Regiones quas Major complectitur sunt istæ: Sarmatia Asiatica, Scythia Asiatica, Serica, Sinæ, Indiæ, insulæ ad Indias; in continenti rursus Gedrosia, Carmania, Drangiana, Arachosia, Sogdiana, Paropamisis, Bactriana, Hyrcania, Margiana, Parthia, Persis, Susiana, Media, Albania, Iberia, Colchis, Armenia, Mesopotamia, Assyria, Babylonia, Arabia,

Arabia, Syria, Palæstina, Phœnice, Cilicia, Cappadocia, Galatia, Pontus, Bithynia, Pamphylia, Lycia, & insula Cyprus. In minori sunt hæ: Phrygia, Mysia, Lydia, Caria, Æolis, Ionia, Doris, & insula Rhodus.

At hodie tota Asia in quinque potissimum dividitur partes; quarum I Tattaria; II China; III Indiæ, sub quibus insulæ adjacentes; IV Persarum sive Sophorum imperium, sub quo comprehenditur Armuziæ peculiare regnum; V Turcicum imperium.

CAP. II.

Scythia Asiatica & Sarmatia Asiatica; item Serica & Sogdiana.

PRima igitur Asiæ, post Tanaim, est Scythia ipsaque gens Scythæ, quos Persæ Sacas adpellavere à proxima gente: antiqui Arimeos dixerunt. In Europam usque ad Istri ostia extendi, supra demonstravimus; ubi etiam fines eorum explicuimus.

At Scythia Asiatica fines habet, ab Occasu eosdem quos ipsa Asia atque Europa: ab Septemtrione mare Scythicum sive concretum ad *Tabin* usque promontorium; ab Ortu mare Eoum & Auxatios Casiosque montes, quibus à Serica hodie Catajæ regno disterminatur; & Ottorocoram montem, quo à Sinis sive Chinensibus discernitur: à Meri-

die Emodos montes, quibus ab Indiis; & Sagdia Oxiaque juga, quibus à Persarum submovetur imperio; dein mare Caspium; mox Caucasum montem, quo ab Albania; & Coracem, quo ab Iberia & Colchide separatur.

Longitudo ejus atque latitudo nobis in Europa dictæ sunt. Complectitur autem hodie totum Tattariæ Asiaticæ nomen, si regnum Catajæ excipias, quod Seres populi olim tenuere; & Zagataiæ partem nomine *Ocrage*, quam Sogdii. Divisa fuit in Sarmatiam Asiaticam, Scythiam intra Imaum montem & Scythiam extra Imaum montem.

Sarmatia Asiatica.

Sarmatarum Asiaticorum regio includitur fluminibus Tanai & Rha, sive *Volga*, mari Hyrcano Ponticoque, & montibus Corace Caucasoque. Nunc Tattari Czetkassi eas terras tenent.

Populi in ea à veteribus Geographis recensentur innumeri; at clari Turcæ, sive Turci, qui Turcicum condiderunt imperium. Præterea Amazonum muliebre genus, omnium clarissimum.

Scythia intra & extra Imaum montem.

Reliqua Scythia Asiatica in duas dividitur partes; quæ occasum spectat, Scythia intra Imaum

Imaum montem; quæ ortum, Scythia extra Imaum dicitur.

In Scythia intra Imaum montem populi inter alios fuere Saſſones, unde quidam Saxones in Germania ortos nugantur; & Sacarum gens magna, nunc *Turckeſtan* & *Tagaliſtan*, in confinibus Indiæ. Atque in his populi omnium Scytharum nobiliſſimi Maſſagetæ.

Fluvii.

Fluvii univerſæ Scythiæ celebres ſunt Obius & Paropamiſus, ad quem nunc urbs *Camul*, uterque mare Septemtrionale petentes: Iaxartes, nunc *Cheſel*; & Rha, nunc *Volga*, ſive *Volha*; & *Edel*, in mare Hyrcanum erumpentes.

Imaus.

Montium maximus atque celeberrimus eſt Imaus; cujus Septemtrionalis pars nunc *Alkai* perhibetur; ubi Tattariæ Imperatorum ſepulchra. inde ad Gangis fluvii fontes Indiæque fines CCCCL. mill. Germ. longitudine protenditur.

Serica & Sogdiana.

At Tattariæ nunc extremæ ad Eoum mare pars, quæ Citajæ regnum dicitur, olim fuit Serica regio, quam gens clariſſima Seres in-

coluerunt. Horum metropolim Seram eodem nomine etiam nunc exstare, quidam contendunt.

Sogdiana etiam regio, inter Oxi dexteram ripam & Sogdios montes sita; quæ Persici olim Imperii fuit, nunc Tattariæ pars est, sub nomine *Ocrage*.

Cap. III.

Summa Tattariæ descriptio.

TAttarorum igitur nomen hodie tota Asia amplissimum est, in Europam etiam, ut ante Scythicum, extensum, ubi Tattaria Minor supra memorata. Gens ipsa fera, atrox, cruenta, inconditis moribus & omnium barbarorum maximè barbara. Regio plurimum inculta, tristis, squallida atque deserta. Nomen accepit à flumine *Tattar*, quod *Mongul* regionem irrigans in mare Septemtrionale effunditur.

Vniversæ longitudo est à Borysthenis ostiis ad *Tabin* usque promontorium mill. German. circiter cIↃ. Latitudo ab Obii ostio, ad finem *Bramas* regni in confinibus Indiæ ac Sinarum, mill. IↃc.

Vniversa dividitur in Asiaticam & Europæam, quam supra explicuimus.

Asiatica quinque potissimum partibus distribuitur, quarum nomina hæc; Tattaria deserta,

deserta, Tattaria *Zagataia*, *Turckestan* regnum, Cataini Magni Imperatoris imperium, & Tattaria vetus.

CAP. IV.

Tattaria deserta, Zagataia & Turckestan.

DEserta Tattaria inter Tanaim, Volgam, Iaxartem amnes, Tapyros, Sebyos Imaumque montes sita, Sarmatiæ Asiaticæ partem, partemque maximam Scythiæ intra Imaum montem complectitur, in hordas complures distributa; quarum præcipuæ sunt: Zavolhensis, quæ & Bulgarorum Tattarorum est horda; Casanensis, Nohaigensis, Tumensis, Schibanskensis, Cosakensis, Astracanensis, quæ quondam peculiare regnum; & Baskirdensis; pleræque ab opidis cognominatæ.

Harum incolæ cum omnes liberi antè essent, nunc Moscovitarum imperio audientes sunt; exceptis unis Tumensibus, qui magno Chano Cataino parent.

Zavolhensis horda magna quondam dicebatur, quia ex hac cæteræ ortum duxerant; unde etiam Imperator eorum *Vluchan* adpellabatur, id est, Magnus Dominus, sive Magnus imperator.

Astracanensis regni caput est urbs *Astracan* sive *Citrachan* prope ostia Volgæ, sali-

nis atque emporio clara ; qua de causa mercatores innumeri ex Moscovia, Turcico Imperio, Armeniis & Persíde eo confluunt.

Sunt præterea in deserta Tattaria *Czyrkassi* inter Tanaim & Volgam, in Asiatica Sarmatia ; & versus Oceanum in Scythia intra Imaum, *Mecriti* ac *Samoiedi*, quos latine dicas semet ipsos devorantes ; aliique eodem tractu, *Molgomsai*, *Badai*que ; utrique Solem, vel rubrum pannum in sublime elatum, venerantes. Cæterum dexteræ Obii ripæ, circa mediam fluminis partem, adposita est urbs magnitudine & incolarum numerositate ingens *Grustina*, Tattaris & Moscoviticis negotiatoribus frequentissimum emporium.

Tattari Zagatai.

Desertæ Tattariæ à meridie conjuncti sunt Tattari *Zagatai*, agro, opidis moribusque ceteris cultiores ac nobiliores. Fines eorum à Septemtrione Iaxartes flumen ; ab ortu *Turkestan* regnum ; à meridie Persicum imperium ; ab occasu mare Hyrcanum.

Caput regionis ac sedes regum est *Samarcanda*, Tamburlane bellicosissimo Tattarorum Imperatore maxime celebris ; urbs magna ac lapide exstructa ; at parum frequens. *Zahaspa* ad Oxi ostia & *Bikent* in mediterraneis clara sunt emporia, quo Indi & Catajæ regni incolæ mercandi causa conveniunt.

Tur-

Turkestan regnum.

Proximum ab ortu est *Turkestan* regnum, veterum Sacarum regio ; cujus incolæ satis civiles & culti. Vrbium notissimæ, *Taskent, Cotam, Cascar, Iarkem.*

CAP. V.

Cataini Magni Chani Imperium; item Tattaria vetus.

POtentissimum inter Tattaros imperium est Magni Chani in regnis *Cataja*, *Tangut*, *Tainfu* : & in provinciis *Tenduc*, *Camul*, *Ciarciam*, *Cara kitay*, id est, Nigra Cataja, & *Teber*. Initium ejus est à Norussis montibus in confinibus Tattariæ desertæ, extenditurque ad *Tabin* usque promontorium & fretum *Anian* longitudine 100 circiter mill. German. Occupat veterem Sericam, majorem partem Scythiæ extra Imaum montem, partemque Scythiæ intra Imaum.

Regnum Cataja.

Serica est ipsum nunc regnum Catajæ, vulgo *Kitay* ; incolis (ut ferunt) adeo frequens, & agrorum cultu adeo læta, urbiumque splendore, ædificiorum nitore, atque omni denique divitiarum genere adeo affluens, uti neque Græciæ veteri neque Italiæ cedat.

Vrbium opulentissima est *Cambalu*, regia sedes & caput totius imperii Magni Chani, quinque milliar. German. ambitu comprehendens ; quam duodecim suburbia, juxta numerum portarum, circumjacent, frequentissimum Indis ac Sinensibus mercatoribus emporium.

Caindu urbs velis subtilissimis, quæ ex arborum corticibus ad usum fœminarum conficiunt, maxime est clara. Qua re tota olim Serica nota erat. Vnde Plinius ; *Seres*, inquit, *lanificio nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem.*

In regno *Tangut* artem typographicam ante cIↃ annos inventam fuisse, nonnulli contendunt.

Tenduc provincia, magni ac potentis Regis Presbyteri Ioannis (quod nomen postea Abissinorum Regi in Africa per errorem datum fuit) quondam regnum fuit.

Tainfu regnum amplum atque cultum vitibusque fertile, artificibus ac negotiatoribus refertum, armorum bellicorum nobilissima inter Tattaros officina. Quin Serico ferro jam inde Plinius palmam tribuit.

Tattaria Vetus.

Postrema universæ Tattariæ pars est Vetus Tattaria, inter Paropamisum amnem & Sericam sive Citajæ regnum, ad usque Septem-




IMPERII
SINARUM
Nova Descriptio.
SAMAHAN TARTARIÆ sive SAMARCANDÆ PARS
Desert.
Xamo
Desert.
Ugueching
Queentung Sin.
IESO.
Cinghai L.
Tibet
Regn.
Kiang
Regnum.
F A N.
Usucang
Regnum
BENGALA
Tangut
XANSI.
XANTUNG.
XENSI.
HONAN.
SUCHUEN.
QUANGSI.
QUANTUN.
KIANGNAN.
KIANGSI.
KIENNAN.
CHEKIANG.
Quancheu.
Tangking
Hainan
Cauchinchina
Liusung
Meaco
JAPAN.
Tangxima
I. de Fuego
Dos Hermanos
I. Queso Pegun
Amsterdam
Melenbrigo
I. de Sierra
Dos Reys magos
I. Formoso
Tropicus Cancri
I. Prata
Suikien
Laoquo
Reg. Laos
Sian

temtrionalem Oceanum & fretum *Anian* extensa.

Dicitur vetus Tattaria, quia hinc primo nomen Tattarorum, ut supra demonstravimus, exortum est. Regiones heic & hordæ complures, quarum nomina vix nota aut certa. At *Vng* & *Mongul* regiones, *Gog* & *Magog* esse, viri docti docent.

Cap. VI.

De Sinarum regione sive China.

Tattariæ, qua ortum Solis prospicit, adnexum est Chinæ regnum, Cœli temperie, fertilitate soli, amplitudine, opibus ac potentia haud cuiquam alii cedens. Gens ipsa (si credimus) ingenio omnes alias superans. Sinas esse Ptolemæi, cum situs, tum ipsum vocabulum maxime convincit. Quidpe quod Hispanis *China*, id Italis Tuscis *Cina*, & Germanis *Tschina* scribitur: ubi exiguam in pronuntiatione deprendas differentiam inter *China* & *Sina*. At ignorantia Hispanicæ pronuntiationis, quæ est in Ch, Græce literæ χ pronuntiatio in vocabulo isto apud alias nationes invaluit. Limites habet ab Occasu Damasios montes, quibus ab India & Tattaria separatur; ab Septemtrionibus Ottorocoram, & murum ccc milliar German. inter hujus crepidines contra Tattarorum

irruptiones exstructum : ab ortu Oceanum Sinensem sive Eoum ; à meridie eundem Oceanum & regnum *Sian*. Longitudo summa est à Tattarorum finibus, qua mare Eoum tangunt, usque ad regnum *Sian*, mill. German. Ɔɔc. Latitudo inter Damasia juga & Oceanum milliar. ccc.

Dividitur totum regnum in complures provincias, quas illi præfecturas vocant: quarum maritimæ sunt, *Cantan*, *Foquiem*, *Chiquecam*, *Nanquii*, *Xantum*, *Paquin* ; mediterraneæ, *Xiamsii*, *Cansii*, *Sancii*, *Suchnam*, *Huanum*, *Iuana*, *Fuquam*, *Suinam*, *Quicheu*, *Quiancii*. *Cochinchina*, *Quancii*.

Vrbes per universum regnum esse tradunt celebres ccxl, fossis murisque probe munitas, præter opida & pagos quorum infinitus numerus. Amplitudo autem urbium ex eo conjicitur, quod *Cantan*, una ex minoribus, tria amplius milliaria Germanica circuitu amplecti dicatur.

De regia varia est auctorum traditio ; alii quidpe *Paquin* eam vocant, alii *Xantum*, quam eandem putant esse *Quinsai*. In Tattariæ finibus versus Septemtriones sitam esse, omnes consentiunt. Ante erat regia *Nanquin*, magna urbs, in medio regni versus Oceanum posita. At de urbe *Quinsai* (sive ea Tattarorum Magni Chani, sive Sinarum Regis regia ; utrumque enim traditur) merito pruden-

prudentissimi cujusque fidem excedunt ea quæ M. Polus Venetus tradidit: continere scilicet eam circuitu mill. Ital. circiter centum, id est, German. communia viginti quinque, & pontium in ea lapideorum duodecim millia, quorum quidam tantæ altitudinis, uti majores naves erecto malo subtermeare queant: lacum item intra mœnia ambitu mill. German. circiter septem continere; in quo duæ insulæ singulas regias superbissimo opere sustinentes. per universam autem urbem præsidium triginta millium militum. Verum tamen urbem hanc post Marci Poli tempora bello diruptam vel alia gravi calamitate destructam esse, quidam putant.

Iapan Insula.

Insulæ ab ortu Sinarum regno objacent innumeræ; at duæ insigniores: *Corea*, incolis *Caoli*, longitudine CCXXX milliar. Germ. latitudine L; & multo nobilior *Iapan*, longitudine milliar. CL. latitudine LXX: utraque in complures ditiones, quas Reguli verius quam Reges obtinent, distributa. Hujus tamen potentior Rex est *Meaci*, urbis totius insulæ principis.

CAP. VII.

De India Veteri.

SInarum regno conjuncta est ab Occasu Meridieque India, terra omnium nobilissima, auri argentique adeo fœcunda, uti solum ejus aureum argenteumque esse veteres crediderint.

Nomen accepit ab Indo nobilissimo flumine. Clauditur ab Occasu Indo; à Septemtrione Emodis montibus; ab Ortu itidem montibus Damasiis & Meandro; à meridie suum mare, quod Indicum adpellatur, magnis sinubus recipit; in quod, ceu duo cornua, longissimo excursu sese emittit.

Longitudo ejus summa est ab Indi fontibus usque ad extremum aureæ Chersonesi promontorium mill. German. circiter Ioc; Latitudo maxima à Damasiis jugis in finibus Sinarum ac Tattarorum ad Simyllam promontorium, nunc *C. Comori*, mill. CCCCL.

Divisa fuit olim Gange flumine in duas partes; quarum una versus Occasum India intra Gangem, altera versus Ortum India extra Gangem, adpellabatur.

Tradunt veteres Geographi, fuisse in India populorum novem millia, quorum clarissimi Brachmanes, Indorum Philosophi, Græcis Gymnosophistæ dicti; & Gangaridæ, quo-



Sacarum Pars.
Scythiæ intra Imaum Pars.
Sericæ Pars.
Sera Metropolis
Caucasy M.
Imaus M.
Emodi M.
Gymnosophistæ.
Adisdara
Gangani
Cassidia
INDIA EX-
Indaprathe.
Semanthini Montes
Aracho sia
Brolinge.
Corancali.
Iberinge.
Urathenę
Salatha
Rhandamarcotta in qua Nardus
Indo Scythia
Vindius M.
Indus flu
Namadus flu
Nanaguna Flu
INDIA INTRA GANGEM.
Athenagurum
Manicua
TRA GANGEM.
Cimara
Acadre.
Achatara
Cudutę.
Parisene.
Tamere Anthropagi
Pentapolis
Barracura
Tomara
Aspithra
Aspithra Flu.
Ariaca.
Sosicure
Thelchir
Sinus Gangeticus.
Daona Pagrasa
Lassippa
Sinus Magnus.
Cortuba
Simylla emp.
Locus unde sobunt in Chrisen navigantes
Sabara
Lestorū Regio.
Acadra
Magnum prom.
SINAE.
MARE
Magrammū metrop.
TAPROBANA.
Linea Æquinoctialis.
Coconagara
Tharra
Sabana emp.
Satyrorum Ins.
INDICUM.
INDIA VETUS.

quorum regem potentissimum Alexander Magnus invadere non ausus est.

Vrbium fuisse quinque millia, iidem auctores prodiderunt, præcipua capacitate; quarum omnium clarissima Nysa, in qua genitum Liberum patrem Indi arbitrabantur.

Fluvii.

Fluviorum nobilissimi sunt Indus & Ganges: Indus, quem accolæ quondam Sandum, nunc diversis nominibus diversi adpellant populi, *Hynd, Duil, Inder, & Caercede,* in Paropamiso monte effusus undeviginti recipit amnes; sed clarissimos Hydaspen & Hypasin, qui Alexandri iter terminavit. nusquam latior quinquaginta stadia, aut altior xv passus, septem ostiis in mare Indicum evolvitur. Ganges gemmifer & auri fœcundus, ex Scythicis exoritur montibus, cujus latitudo minima duo mill. German. maxima quinque, ubi vadosissimus, mensuram centum pedum devorat.

De Incolis.

Indorum gens vetustissima nunquam à natali solo recessit. quare nemini fas sit mirari vel hominum vel urbium copiam. Indiam Liber pater (quem illi apud se natum arbitrati) primus cum exercitu ingressus est, primusq; omnium Indis subactis triumphavit.

Dehinc Persæ proxima inter Indum & Gangem armis occupata tenuerunt, donec Alexander, Dario superato, Porum Indorum Regem debellavit. Post hunc in pace, suis quique Regibus obedientes, egerunt; donec, diu ignoti, tandem Portugallensibus superiori sæculo rursus cogniti fuerunt. Longinquitas regionis occasionem præbuit fabulis, uti ex veteribus graves etiam scriptores, hominum varias monstrosasque species crediderint.

CAP. VIII.

Summa Indiæ novæ descriptio.

CVm superioribus sæculis ob feritatem intercedentium populorum terra adiri India nequiret, tam longinqui vero maris navigatio nondum experta esset, diu Europæis incognita mansit, cum non nisi ex veterum scriptis nosceretur. At primus Guasco Gama Portugallensis ann. CIↃ CCCC XCVII ab Hispaniis profectus, superato Bonæ spei promontorio atque universa Africa circumnavigata, Indiæ oram maritimam perlustravit. Post hunc idem ab aliis feliciter tentatum; missique alii aliique subinde à Regibus Portugalliæ, qui oram maritimam vi occupatam, arcibus ac propugnaculis munirent. Deprehensum tunc est, varia nationum genera Indias incolere, Hebræos, Persas, Scythas,


PERSIÆ
PARS.
Cabul.
INDIA INTRA GANGEM
MOGOR
DOSTAN.
INDIA EXTRA GANGEM
CHINÆ
REGNUM
IAPAN.
Tropicus Cancri
OCEANUS CHINENSIS.
Philippinæ Insulæ
Islas de las Velas
Golfo de Bengala.
ORIXA.
Ceylon
Insulæ Maldivæ
SUMATRA
BORNEO.
Gilolo
Nova Guinea
MAR DI
INDIA.
IAVA
HOLLANDIA NOVA.
Tropicus Capricorni.
INDIA ORIENTALIS NOVA.

thas, Arabas, ipsosque Indos, quorum exigua quædam pars post D. Thomæ, ut ferunt, institutionem in fide Christiana permanserunt. Hanc navigationem diu Portugallenses & Hispani, constituto in Indiis ab Portugalliæ Hispaniæque Regibus Prorege, soli obtinuerunt; donec superioribus annis Hollandis etiam frequentata est.

Iisdem finibus, quibus olim, India nunc etiam circumscribitur. nam & citra Indum amnem populi quidam, ut olim, nunc etiam Indi dicuntur.

Dividitur etiam nunc, ut olim, Gange fluvio in duas parteis: quarum una *Indostan*, quæ olim India intra Gangem; altera *Mangi*, India extra Gangem. Regna universam continere tradunt XLVII, quorum quædam nimium modica & arctis admodum finibus constricta.

At noviſſimi tamen Geographorum in novem potiſſimum partes ſive regiones univerſam Indiam diviſerunt; quarum nomina ſunt: *Cambaja*, *Narſinga*, *Malabar*, *Orixa*, *Bengala*, *Pegu*, *Sian*, *Camboja*, & Septemtrionalis pars, quæ ferme tertia univerſæ.

CAP.

Cap. IX.

Cambaja, Narsinga, Malabar, Orixa.

CAmbajæ regnum in dextro Indiæ cornu ad Indi ostia situm, longitudine occupat mill. German. circiter CLX, latitudine fere totidem.

Vrbium prima est, quæ regno nomen dedit, *Cambaja*, omnium Indicarum cultu atque magnitudine præstantissima; qua de causa *Cairum* Indiæ vocitata. Regia sedes est *Campanel*, in edito loco septenis mœnibus cincta. *Goa* in insula Indi posita, emporii celebritate, agrorum ubertate, incolarum multitudine atque ædificiorum magnificentia insignis urbs, ob munitionis firmitudinem locique situm claustra regni vocitata.

In eadem insula *Dio* arx, atque in continenti alia *Damaom*, Hispanorum præsidiis custodiuntur.

Celebres quoque sunt *Beder* & *Decan* urbes; quarum hæc regno quondam nomen dederat. At citra Indum in Provincia *Guzarate*, quæ pars est regni Cambajæ, præcipua urbs est *Ardavat*, Indi ripæ adposita.

Narsinga.

Narsingam, in dextro itidem cornu sitam, duobus lateribus, Occidentali ac Orientali, mare

mare abluit. Longitudo ejus à confinibus Cambajæ & Orixæ, ad promontorium *Comori*, milliar. occupat German. circiter C L. Latitudo ſumma inter duo maria mill. XC.

Regiæ ſunt duæ : *Narſinga*, unde regno nomen, & *Biſnagar*.

Onor, *Batecala & Mangalor*, Luſitanæ ſunt ditionis. *Colmandel & Maliapor ab* Indis Chriſtianis habitantur : Quarum hæc D. Thomæ ſepulchro clara.

Malabar.

Malabar regio in extremitate dicti cornu ſita, in longum LXXX, in latum XLV mill. German. regna continet, ab ſingulis urbibus denominata : *Cananor*, *Calicut*, *Coulete*, *Cranganor*, *Cochin*, *Coulam & Travancor*. Horum *Calicut* cœtera præſtat ; cujus Rex *Samory* incolis, id eſt, ſummus Imperator ac Deus in terris vocatur. Ipſa urbs *Calicut* ampla eſt, at humiliter exſtructa.

In hac provincia Luſitani tria habent munimenta.

Orixa.

Orixæ regnum, in ſinu Gangetico inter Narſingæ & Bengalæ regna protenſum, caput habet Orixam urbem. At regia eſt *Ramana*.

CAP.

CAP. X.

Bengala, Pegu, Sian, Camboja, India Septemtrionalis.

Bengala.

BEngalæ regnum ab urbe *Bengala* dictum, ad Gangis aliorumque amnium ostia, in longum CL, in latum CLXX mill. German. obtinet.

Ipsa urbs *Bengala*, magna, celeberrimo emporio insignis, in insula fluvii *Cosmin* sita est.

Pegu.

Regia hujus regni est *Pegu* urbs in insula posita, totius Indiæ clarissima, mœnibus munita, ædificiis elegantissimis ornata.

Subjecta autem sunt Regi *Pegu* & alia regna, quorum *Ava* versus Septemtrionem, gemmis, equis & elephantis abundat.

Sian.

Sian potentissimum regnum, cujus longitudo CCC. lat. CLX. conficit mill. urbes insigniores habet *Sian* regiam, admodum amplam, & *Malacca* in Chersoneso aurea sitam; emporium aromatibus nobilissimum; quatuor mill. Germ. amplecti dicitur.

Cam-

Camboja.

Hujus regni caput est *Camboja* ; at sedes regia *Diam*, quæ quibusdam *Odia*.

India Septemtrionalis.

Borealem Indiæ partem, quam tertiam universæ diximus, quondam in varia regna divisam, nunc Tattari ex Tattaria huc transgressi obsident. Hi Mogores dicuntur,& eorum rex Magnus Mogor ; cujus regia *Delly*, in confinibus Cambajæ & Narsingæ regnorum. Sub hoc Rege urbes claræ, *Mandao*, *Sanga*, *Moltan*, *Citor* & *Aracan*, singulorum regnorum capita.

Cap. XI.

Insulæ in Indico mari.

Insularum in Indico mari tantus est numerus, ut haud facile iniri queat ; quare præstantiores solum dicendæ.

Princeps est atque omnium toto Oriente nobilissima *Sumatra*, in complura regna divisa ; Secunda est *Borneo* ; Tertia *Iava* Major, incognitæ magnitudinis ; quam Iul. Cæsar Scaliger omnium rerum facili ubereque proventu compendium Orbis adpellavit. In hac celeberrimum Emporium *Bantam*.

Dein insulæ *Celebes*, *Gilolo*, *Ceiram* ; quas Sin-

Sindas esse putant Ptolemæi : & inter has sparsæ Moluccæ ; parvæ , at felici aromatum productu nobiles, *Bachian*, *Tidor* , *Ternate*, *Motir* , *Machian*. Iamque Sinarum regno adproximantes Philippinæ,quas Barussas Ptolemæi interpretantur. Harum maxima *Lutzon*; in qua Hispani urbem condiderunt *Manilliam*. Secunda est *Mindana*. Tertia *Calamianes*. Dein reliquæ minores inter has dissipatæ. Hinc vero versus Orientem sunt aliæ complures,in universum Hispanis *Islas de las Velas* dictæ. Hinc rursus meridiem versus CL distans mill. German. est nova *Guinea* ; quæ an sit insula an vero pars continentis terræ Australis , nondum satis compertum habemus. At in sinu Gangetico Narsingæ regno adversa *Ceylon*, novem regnis distincta, antiquis Taprobana dicta.

CAP. XII.

De Persarum imperio.

PErsarum regnum antiquitus occupabat quicquid præter explicatas terras in Asia reliquum est, quin etiam Indiæ partem & Ægyptum , quæ antiquitus in Asia censebatur, longitudine ab Hellesponto ultra Indi ostia mill. Germ. IↃCC,latitudine à Ponto ad sinus Arabici fauces IↃ. quo spatio multæ regiones atque regna recensentur , de quibus ordine erit




PONTUS EUXINUS.
NAGAIA
Astrachan Deserta Nagaici
Caucasus Mons
Norossus Mons
Bantina
Colchis
Cyrcassia.
Terki
Baniatu
Therar
Paphlagonia
Pambek
Congi
Amasia
Tocato
Tabeha
Sober
Vrumi
Tiflis
Derben
Portus Mangischlak
Orcanes fl.
Almaligh
Moku
CATA
LAE
PABS
Chetzeuz
Sekyn
Tzes
Nikeb
Giund
Kurkentzi
Kath
Buchara
Demkan
Neseff
Oxus fl.
Terment
Erbizan
CHETH
LAN.
Semnekan
Bamian
Burgui Lacus
Panisirs
Grees
Sabluſtan
Kabokuran
Chaluk
Keſeſch
Tanais fl.
Volga fl.
Astracan Deſerta Nagaici
MARE CASPIUM.
ASIA MINOR.
ARMENIA
CAPPADOCIA
PAMPHILIA
CILICIA
MARE MEDITERRANEUM
TERRA PARS
ARABIA PETRAEA
ARABIA DESERTA
ARABIA FELIX
SINUS PERSICUS
MEKERAN
KIRMAN
PERSIA
SIA
TA.
Ormus
C. Moſandum
Kalhat
Hüzüf
Zeidan
Mare Rubrum
Aleppo
Damascus
Jeruſalem
Gadara
Aman
Nachtzuan
Schahderi
Hyrcania
Taurus
Ebheker
Meſchet
Aſſyria
Nineve
Arbil
Suberkan
Scherbineeck
Tiberias fl.
Jordan
Chaldæa
Euphrates fl.
Tigris fl.
Bagdat
Terdſchan
Maſſagetæ
Bahara
Lacus
Abia fl.
Meſchet
Merverud
Taurus
CHORASANA
Sefen
Tzurtzan
Kain
Herat
Thebes
Meſina
Thebeſſi
Kuleki
Sarnich
Mut
Beſer
Permuſir
Pem
Lar
Mechitan
Baſin
Calaru
Guadel
Tanka bunder
Paſkan
Dibbi
Engan
Gadana
Deſert Salſam
Aſtur
Sartzun
Berin
Kaldſ.
Aleppo
Damascus
Jeruſalem
M. Galilea
M. Mortuum
Rahamah Lac.
Meſchet
Anna
Suberkan
Arbil
Nineve
Rega
Besbetin
Bitlis
Heran
Mallon
Carpurt
Aman
Addizis
Mariuane
Nachtzuan
Schahderi
Chui
Zuzigh
Schamuſh lu
Derben
Ikeskui
Vrumi
Sober
Tocato
Tabeha
Amaſia
Schiſir
Terpuli
Pambek
Colchis
Reo
Cyrcaſſia.
Terki
Tiflis
Baniatu
Therar
Orcanes fl.
Portus Mangiſchlak
Almaligh
Moku
Kurkentzi
Giund
Nikeb
Kath
Chetzeuz
Sekyn
Tzes
Buchara
Demkan
Neſeff
Oxus fl.
Terment
Erbizan
Maſſagetæ
Bahara
Lacus
Abia fl.
Meſchet
Merverud
Taurus
Sefen
Tzurtzan
Kain
Herat
Thebes
Meſina
Thebeſſi
Kuleki
Sarnich
Mut
Kabokuran
Chaluk
Beſer
Permuſir
Pem
Lar
Mechitan
Baſin
Calaru
Guadel
Tanka bunder
Paſkan
Dibbi
Engan
Keſeſch
Tanais fl.
Volga fl.
Gadana
Deſert Salſam
Aſtur
Sartzun
Berin
Kaldſ.
Hüzüf
Zeidan
Mare Rubrum
C. Moſandum
Ormus
SINUS PERSICUS
ARABIA FELIX
MEKERAN
KIRMAN
PERSIA
Ex Adamo Oleario.
7°
8°
9°
10°
45
35
25

erit agendum. At primo loco eam partem narrabimus, quæ nunc Persarum sive Sophorum imperium dicitur. Hoc clauditur à Septemtrione Hyrcano sive Caspio mari, & Oxo flumine Caucasoque monte; ab Oriente Indo; à Meridie mari ac sinu Persico; ab Occasu Euphrate amne & Tigri, qui in illum immergitur, Niphaticis jugis, & Araxe fluvio, qui in Hyrcanum mare evolvitur. Longitudo ejus est ab Araxis ostio ad Indi ostia milliarium CCCCLX. Latitudo ab Oxo ad mare Persicum CCLXX.

Regiones heic olim, Gedrosia, Carmania, Drangiana, Arachosia, Paropamisis, Bactriana, Margiana, Hyrcania, Aria, Parthia, Persis, Susiana, Assyria, Media.

CAP. XIII.

Gedrosia, Carmania, Drangiana, Arachosia, Paropamisis, Bactriana, Margiana, Hyrcania, Aria, Parthia.

Gedrosia.

GEdrosiæ, quæ nunc *Kheſimur* & *Guzarate*, populi fuerunt Orbitæ, Parsiræ, Musarnæi, Rhamnæ. Regiones Paradene, Parisene. Flumen nobile Arbis sive Arabis. Vrbes inclytæ Parsis, caput regionis, Arbis & Cuni.

Car-

Carmania.

Carmaniæ veteris nunc regiones sunt *Kirman*, *Goadel* & *Ormuz* regnum. Populi in ea quondam Isatichæ, Zuthi, Gadanopydres, Camelobosci, Sozotæ dicti, Agdenites, Rhudianæ, Ares, Charadræ, Pasargadæ, & Armozæi. Regiones, Modomastice, Parepaphitis, Cabadina, Chantonice. Flumen, Samydaces. Mons, Semiramidis. Vrbes Carmana, Samydace, Alexandria, Armuza.

Drangiana.

Drangianæ, nunc *Sigestan*, populi Darandæ & Batrii. Regio Tatacene. Vrbes inclytæ Ariaspe, Prophthasia.

Arachosia.

Arachosiæ, nunc *Candahor*, populi Pargyetæ, qui ante Arimaspi, postea Euergetæ dicti; Sydri, Roplutæ, Eortæ. Vrbes Arachotus, Alexandria.

Paropamisis.

Paropamisidis, quæ nunc *Sablestan*, populi Bolitæ, Aristophyli, Ambantæ, Parietæ, Parsii. Vrbes claræ, Carura, quæ & Ortospana, Naulibis.

Bactriana.

Bactriana nunc *Corasan* dicitur; Populi olim

olim Salataræ, Zariaſpæ, Chomati, Comi, Acinacæ, Tambyzi, & Thocarorum magna gens; Maricai, Scordi, Varni, Savadii, Orſiti, Amariſpi. Vrbes duæ regiæ, Bactra & Ebuſmi. claræ item Maracanda, Charracharta.

Margiana.

Populi Margianæ, quæ nunc *Elſabar*, Derbicæ, Maſſagetæ, è Scythia huc transgreſſi; Parni, Daæ, Tapuri: Vrbium clariſſima Antiochia Margiana, ante Alexandria dicta; poſt vero Seleucia.

Hyrcania.

Populi Hyrcaniæ, (unde proximum mare Hyrcanum dicitur) Maxeræ, Aſtabeni, Chrindi. Regio Arſitis. Caput regionis Hyrcana; inde Amaruſa.

Aria.

Ariæ, nunc *Diargument*, populi, Niſæi, Aſtaveni, Muſdorani, Caſirotæ, Obares, Elymandri, Borgi. Vrbes, Aria, Alexandria, Bitaxa.

Parthia.

Parthiæ, nunc *Arac* regiones ſunt, Comiſene, Parthiene, Parataucene, Tabiene, cujus gens Sobidæ. Caput regni ac regia Hecatompylus à centum portis dicta.

CAP.

Cap. XIV.

Persis, Susiana, Assyria, Media.

Persis.

Populi Persidis, quæ nunc *Farsi*, Mesabatæ, Rapsii, Hippophagi, Suzæi, Mægores, Stabæi. Regiones Parætacene, Misdia, Mardiene, Toacene. Vrbium clarissimæ, Persepolis, caput quondam imperii Persici, omnium elegantissima; Axima, Marasium, Toace.

Susiana.

Susianæ, quæ nunc *Elaran*, gentes Elymæi, quorum regio Elymæa vel Elymais; Cossæi. Regiones Melitene, Cabamene, Characene, Cissia. Chaltapitis, & campus Dera sive Derius, omnium fertilissimus. Fluvii nobiles, Mosæus, Oroates & Eulæus, tam limpidis aquis ut nullas alias reges bibere voluerint. Vrbes claræ Susa & Tariana.

Assyria.

Assyriæ, nunc *Cusistan*, regiones notiores fuere, Arrapachitis, Sitacene, Adiabene, Apolloniates, Calacene, Arbelitis. Populi Garamæi & Sambatæ. Fluvii in Tigrim defluentes, Lycus, Caprus, & Gorgus. Vrbes insignior es, Ninus, quæ Ninive in Sacris literis quondam clarissima, à Nino condita; Ctesiphon

phon Parthorum regia, & Arbela quondam vicus, ubi Darium vicit Alexander Magnus.

Media.

Mediæ, quæ nunc *Sarch* dicitur, populi celebres fuere Caſpii, à quibus mare proximum Caſpium vocatur, quod & Hyrcanum ab Hyrcanis; & Caſpiæ portæ ab illis; Caduſii, Geli, Dribyces, Avarici, Mardi, Carduchi, Gordieni poſtea dicti; Marundæ, Margaſi, Sagartii, Tapuri, Sidices, Vadaſſi. Regiones, Atropatia, Choromiterne, Sagrianica, Ragiana, Daritis, Zapavortene, Syromedia. Vrbium notiſſimæ, Ecbatana, Arſacia, Cyropolis, Europus. Fluvii celebres, Cambyſes, Cyrus, Mardus, qui & Amardus; Strato, Corindas. Montes, Coronus, Iaſonius, Orontes, Zagrus, Choatras.

CAP. XV.

De varia imperii Aſiatici mutatione, nova Sophorum regni deſcriptione; item de regno Ormuz.

INitio rerum penes Aſſyrios Aſiæ, id eſt, terrarum quæ nunc ſub Turca & Sopho, imperium ſtetit. Poſtea ad Medos devolutum. ab his ad Perſas per Cyrum tranſlatum. Dein Macedones, Alexandro Darium debellante, occuparunt. mox cum pars Romanor.

imperio cederet, Parthi, vilis antea atque ignava gens, potentissimum in Asia regnum condiderunt; magnis exinde cladibus Romanos afficientes, donec ipsi à Turcis & Saracenis afflicti fuerunt, regnumque eorum divexatum. Tandem Persarum nomen atque virtus in Sophis iterum emersit, Ismaële Rege potentiam imperii sui maxime stabiliente.

Nunc Persarum sive Sophorum universum imperium in regiones divisum est, quorum nomina, *Sarc*, *Cusistan*, *Elaran*, *Farsi*, *Arac*, *Elsabar*, *Diargument*, *Corasan*, *Sablestan*, *Candahor*, *Sigestan*, *Chesimur*, *Kirman*, *Goadel*; quibus accedunt *Ormuz* peculiare regnum,& *Guzarate* provincia,quam Indorum in Cambajæ regno diximus. Vrbium clarissimæ sunt in regione *Sarc*, *Tauris* regia, IV mill. Germ. circuitu complectens: *Casmin* altera regia. Reliquæ sunt *Tamai*, *Turcoman*, *Derbent*, *Erex*, *Zeken*, *Meren*, *Servan* & *Ardovil*, Sophorum origine inclyta. In *Farsi* regione *Siras* regia,urbs pulchra ac splendida, inter majores orientis computata,V mill. Germ. ambitu continens. In *Arac Cassaim* urbs opulenta, & *Hagistan* sive *Hispahan* ob magnitudinem dimidia orbis pars Persis dicta. In *Corasan Istigias* regia, urbs magna atque amœna. In *Candahor* ipsa urbs *Candahor*, emporium Indis

&




PONTUS EUXINUS.
MARE CASPIUM.
Sinope
Paphlagonia
Amisus
Themiscyra
Halis fl.
Trapezus
Orbalissi Moschici montes
Syracene
Sacasene
Boche
Turcomania
Sodu cene
Armaurea
Artaxata
Arsea
Basilissene
Hobordene
Sophene
Satala
Ætulane
Nicopolis
Erethica
CAPPADOCIA
Iris fl.
Sebastia
Horsene
Scorbiscus M.
Antitaurus M.
Melas fl.
Morimene mons
Amanus M.
Laviana
Pegian
Orbisine
Bozoch
Taurus
CILICIA.
Alexandria
Seleucia
Pieria M.
Zeugma
Hierapolis
Chalcis
Cibrus
Antiochia
Apanius
Casius M.
Antiochene
Cyprus
MARE
Marathus
Eleuther fl.
Tripolis
PHŒNICIA
SYRIA
Berithus
Syro Phœnicia
Tyrus
Ptolemais
Carmelus
Cæsarea
Palæstina
Apollonia
Joppe
Bethsemes
Gaia
Sarmatia
Zoar
Perea
Bethsabara
Medava
Sirbonis L.
Pompey Sepulchr.
Petra
ARABIA PETRÆA
Sinai M.
SINUS ARABIC.
Tote ne
Syracene
Sacasene
Boche
Turcomania
Sodu cene
Armaurea
Artaxata
Arsea
Hobordene
Sophene
ARMENIA MAJOR
Antitaurus Mons
Acilisene
Astaunites
Artemita
Cortæa
Tigranocerta
Gordiæi
Mardi
Mons
Caspius M.
Carduchi
MEDIÆ PARS.
Popul Thospites
Tospia
Curdi
Corinea
Melitene
Niphates M.
Taurus
Anthemusia
Nisibis
Niphates M.
Zagr. M.
Samosata
Edessa
Chalcitis
Gauzanitis
Singaras M.
Acabene
Labbane
Ninus
Adiabene
SYRIA.
Carræ
Nicephorium
Chaboras fl.
Beroea
Chalibon
ALIDULI.
Palmyrene
Laodicea
Palmyra
Thapsacus
Euphrates fl.
Ingine
Ancobarites
DIARBECH.
Tigris fl.
Scenitæ.
ARABIA DESERTA.
Aucha nites
Regius flu.
Mesene
Babylonia
Ctesiphon
Mardo cæa.
Chaldæa
BABYLONIA
Urchoa vel Ur Chaldeorum
SUSIANA
Teredon
SINUS PERSIC.
Arabiæ Felicis pars.
ARMENIA SYRIA, MESOPOTAMIA &c.

& Citainis mercatoribus celeberrimum. In *Kirman*, ipsa urbs *Kirman*, caput regionis.

Regnum Armusiæ, vulgo *Ormuz*.

Cæterum veteris Carmaniæ nunc pars est regnum *Ormuz* admodum potens : quod Plinio Armuzia regio dicitur, populi Armozei. Ptolemæus refert hoc situ civitatem Armuzam, & Strabo Armozum, quo nomine hodie censeri potest *Ormuz* in insula ejusdem nominis.

Rex Saracenus est ; olim Persarum, nunc Hispaniarum Regis, qui arcem illic obtinet munitissimam, stipendiarius. Sed hujus regni pars altera est in proximo Arabiæ litore.

Caput regni est Armuza, vulgo *Ormuz*, urbs satis elegans, emporiumque gemmis, unionibus atque aromatibus, quæ India, Persis & Arabia mittunt, celeberrimum.

CAP. XVI.

De reliquis veteris Asiæ regionibus, quas nunc Turcarum Imperator obtinet : & speciatim de Albania, Iberia, Colchide & Armenia.

QVod reliquum est Asiæ, Turcicum Imperium totum obtinet. Regiones hic olim fuere, Albania, Iberia, Colchis, Armenia, Cappadocia, Galatia, Pontus & Bithynia,

Asia minor sive proprie dicta, Lycia, Pamphylia, Cilicia, Syria, Mesopotamia, Babylonia & Arabia. In insulis celebriores Cyprus & Rhodus, Lesbos, Chios & Cos.

Albania.

Albania nunc Georgiæ pars Orientalis, inter Iberiam & mare Caspium sita, ab Albano flumine nomen habere videtur. Fluviorum nobilissimus est Cyrus, Caspium mare abluens. Vrbes insigniore Chabala sive Cabalaca, Albana & Getara.

Iberia.

Iberia, nunc pars Georgiæ Occidentalis, inter Albaniam & Colchidem sita, gentis Iberorum clarissimum solum, urbes celebres habuit Artanissam & Armacticam, sive Harmastim.

Colchis.

In Colchide, quæ nunc *Mengrelia* dicitur, inter Iberiam & Pontum Euxinum sita, populi fuere Ealæ & Manrali, unde regioni nunc nomen. Fluvii celebres, Phasis, Cyaneus. Montes Caucasus & Corax. Vrbium clarissimæ Phasis & Dioscurias, quæ postea Sebastopolis.

Armo-

Armenia Major.

Armenia universa dividitur Euphrate amne in Majorem & Minorem. Major est quæ nunc in tres partes divisa, *Turcomannia*, *Popul*, & *Curdi* adpellatur. à Septemtrione Moschicis montibus separatur à Colchide & Iberia, Cyroque amne ab Albania; ab Oriente Caspium mare habet & Caspium montem; à Meridie, montem Taurum quo à Mesopotamia, & Nyphatem quo ab Assyria discernitur; ab Occidente Euphrate amne à minori Armenia disterminatur. Mediam dividit Antitaurus mons. Fontes heic amnium toto Oriente nobilissimorum, Euphratis ac Tigris; montes Gordyæi & Pariedrus. Regiones sunt Cotacene, Bocche, Tosarene, Totene, Colthene, Soducene, Syracene, Sacasene, Basilissene, Hobordene, Arsea, Acilisene, Astaunites, Sophene, Anzitene, Thospites, Corinea, Gordiene & Cortæa. Populi, Mardi, Gordiæi. Vrbium notissimæ, Armauria, Artaxata, Thospia, Artemita, & Tigranocerta.

Armenia Minor.

Armenia Minor, quæ nunc *Pegian* & *Bozoch*, clauditur ab Ortu Euphrate amne, à Meridie Amano monte, ab Occasu & Septemtrione monte Scordisco. Mediam itidem secat Antitaurus. Regiones in ea, Orbalissi-

ne, Ætulane, Ærethica, Horsene, Orbisene. item præfecturæ, Cataonia, Morimene, Laviana, Aravene. Fluvius inclytus Melas, qui Euphrati jungitur.

Vrbium principes, Satala, Nicopolis, Melitene, Comana.

CAP. XVII.

Cappadocia, Galatia, Pontus & Bithynia.

CÆterum sinus ille terrarum, qui est inter Ponticum & Cyprum maria, *Natolia* nunc dicitur, ab una provinciarum *Anadole*. Heic olim regiones, Cappadocia, Galatia, Paphlagonia, Pontus & Bithynia, Asia minor, Lycia, Pamphylia & Cilicia.

Cappadocia.

Cappadocia, quæ nunc quatuor complectitur regiones, *Genech*, *Suas*, *Anadole* & *Amasiam*, ab Ortu habet Armeniam Minorem, à Meridie Ciliciam, ab Occasu Pamphyliam & Galatiam, à Septemtrione Pontum Euxinum. Fluvii nobiles Iris & Thermodon. Regiones Lycaonia, Themiscyrene, Zelitica, Carmanene, Gargarausene, Gargauritis, Antiochene, Tyranis. Gens Heniochorum magna, ac multis nominibus distincta. Vrbes claræ, Comana Pontica cognomine, Neocæsa-

cæsarea, Sebastia, Diocæsarea, Maza, quæ & Cæsarea, Iconium, Laranda, Tyana, Trapezûs, Amasia, Strabonis Geographi cunis decorata.

Galatia.

Galatia, cujus nunc partes *Roni* & *Chiancare*, dicta est hæc regio à Gallis, ex Italia post incensam Romam huc transgressis; eadem Gallogræcia & Græcogallia, quia Gallis Græca Gens mista incoluit. Antea Phryges tenuere & Paphlagones. Paphlagoniæ nomen mansit in parte Galatiæ. Includitur autem Galatia à Septemtrione Pontico mari, ab Ortu Cappadocia, à Meridie Pamphylia, ab Occasu Asia minori & Ponto Bithyniaque. Regiones versus Septemtrionem Paphlagonia, in qua Heneti populi, unde Veneti in Italia: versus Meridiem Isauria, ubi urbs Isaura; & Pisidiæ pars: Cujus altera pars in Pamphylia memorabitur. Populi Chalybes, Trœmi, Proserliminitæ, Byceni, Orondici: & Gallorum nationes, Tectosagæ, quorum caput Ancyra urbs; Tolistobogii, Voturi & Ambiani. Vrbes inclytæ, Teuthrania, Sinope, Mithridatis & cunis & sepulchro nobilitata; Amisus, Therma, Pessinûs, quæ Dindymene & Cybele ante dicta. Montes sunt, Olgasis, Didymus, & qui Cælenorum tumulus.

Pontus & Bithynia.

Quæ ante duæ erant regiones, Pontus ad Ortum Solis, Bithynia ad Occasum, postea sub una provincia censæ sunt. Terminatur provincia à Septemtrione mari Pontico, ab Ortu Galatia, à Meridie Asia minori, ab Occasu Propontide. Mons clarus est Orminiùs; Flumina, Parthenius, Hippias, Sangarius, Ascanius. Regiones, Bogdomanis, Timonitis. Populi, Chalcedonii, Mariandini, Caucones, Zygiani. Vrbes insignes, Chalcedon, quæ nunc *Scutari*, Constantinopoli adversa; Nicomedia, Apamea, Heraclea, Nicæa, Prusias, quæ nunc *Bursia*, & Libyssa Annibalis interitu ac sepulchro nota.

CAP. XVIII.

Asia minor sive proprie dicta.

ASia proprie dicta, quæ & minor, (nunc tres ejus partes, *Chiutalem*, *Sarcum* & *Germian*) terminatur ab Septemtrione Bithynia ac Ponto, ab Ortu Galatia Pamphyliaque & Lycia, à Meridie eadem Lycia & Rhodiensi mari, ab Occasu Ægæo pelago & Hellesponto. Regiones in quas dividitur sunt hæ; Phrygia, Mysia, Lydia & Caria: & quas Græcæ gentes in litore Ægæo incoluerunt, Æolis, Ionia & Doris.

Phry-





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0405



Phrygia Major.

Phrygia duplex est; altera Major, altera Minor, quæ & Troas.

Majoris Phrygiæ populi Olympeni, Moccadelii, Cydisses, Gipetini, Moxiani. Montium celeberrimus est Cadmus, quo à Lycia discernitur. Fluvii nobiles Meander & Marsyas. Vrbes insignes Synnada, & Apamia Cibotus cognomine, ante Celænæ dicta.

Phrygia Minor, sive *Troas.*

Quæ ante Troas erat, à Phrygibus occupata Phrygia Minor dicta fuit; in ea amnis nobilissimus Scamandrus. Vrbium notissima Grajorumque monumentis celebratissima Ilium sive Troja, Græcorum decenni obsidio excidioque inclyta. Inde novum Ilium triginta stadiis ab veteri distans. item Alexandri Troas, quæ & Alexandria.

Mysia Major.

Mysia similiter in Majorem ac Minorem dividitur. In Majori inter Minorem & Phrygiam Majorem sita populi fuere Olympeni, Trimenothuritæ & Mysomacedones. Montes nobiles Olympus & Cimon. Fluvius Rhyndacus. Vrbium notissimæ, Antandros, Adramitium, Pergamus, Trajanopolis, Alyda.

Mysia Minor.

In Minori Mysia, quam Hellespontus & Propontis perfundunt, amnes sunt celebres Æsepus, Granicus, Simois. Mons Ida, Paridis & Oenones amoribus notus. Vrbes insignio-res Cyzicus, Parium, Lampsacus, Abydus & Dardanum.

Lydia.

Lydiæ pars altera dicitur Mœonia. Flu-mina in utraque Caicus, Thermus, qui Pacto-lum auriferis arenis famigeratum (unde χρυ-σορόας dictus) recipit, & Caistrus, qui Lydiam à Caria dispescit. Montes clari Sipylus, Tmo-lus, Mesogys, Mimas. Vrbium nobilissimæ Thyatira, Sardes, Philadelphia.

Caria.

In Caria flumina Mæander, in Phrygia Majori ortum, & ab hoc receptum Lycus. Montes Phœnix, Mycale & Latmus. Vrbes claræ Tripolis, Laodicéa, Antiochia, Magne-sia, Priene, Alabanda, Stratonice, & in litto-re Miletus, dives quondam atque potens mari Græcorum civitas, Mynduſque.

Æolis, Ionia, Doris.

In Æolide urbes inclytæ, Cuma, Phocæa, Elea. In Ionia, Smyrna, Clazomenæ, Teos, Lebe-

Lebedus, Colophon, non tam Clarii Apollinis oraculo, quam Homeri natalibus nobilis; & Epheſus omnium clariſſima : cujus decus templum Dianæ, Amazonum opus, adeo magnificum, uti Xerxes cum omnia Aſiatica templa igni daret, huic uni perpercerit: quod poſtea Heroſtratus, ut nomen memoria ſceleris extenderet, incendio deſtruxit. Id poſtmodum ad auguſtiorem cultum Epheſii reformarunt. In Doride urbes fuere Halicarnaſſus & Cnidus.

CAP. XIX.

Lycia, Pamphylia & Cilicia.

LYcia, quæ nunc *Aldinelli*, terminatur ab Occaſu & Septemtrione Aſia Minore, ab Ortu Pamphylia, à Meridie mari ſuo, quod Lycium eſt. Montium celebratiſſimus Chimæra nocturnis æſtibus fumum exhalans: unde fabula triformis monſtri in vulgum data eſt, quod Chimæram animal putaverunt. Hinc Ovidius:

Quoque Chimæra jugo mediis in partibus hircum,
Pectus & ora leo, caudam ſerpentis habebat.

In cacumine quidpe Leones habitabant; in medio, ubi paſcuis abundat, capræ; in radicibus Dracones. Fluvii celebres, Xanthus,

Limyrus. Vrbes, Patara, Andriace, Telmessus.

Pamphylia & Taurus Mons.

Pamphylia, quæ nunc *Menteseli*, clauditur ab Septemtrione Galatia, ab Oriente Cilicia & Cappadocia, à Meridie suo mari, quod Pamphylium, ab Occidente Lycia ac Phrygia Majori. Regiones in ea sunt Carbalia & Pisidiæ pars, cujus alteram partem in Galatia memoravimus. Pisidæ antea Solymi dicti fuere. Montium nobilissimus est Taurus; qui totius Orbis maximus, à Pamphylio mari juxta Chelidonias insulas exoriens, per varias innumerasque gentes, aliis aliisque nominibus ab Occasu in Ortum ad Scythiæ usque & Indiarum fines extremos extenditur, pari longitudine fere qua ipsa Asia, dividitque Asiam universam in duas partes, quarum altera quæ Septemtrionem spectat Asia dicitur intra Taurum, altera quæ Meridiem Asia extra Taurum. Porro urbes in Pamphylia insignes sunt Side, Seleucia Pisidiæ, Antiochia, Termessus & Perga.

Cilicia.

Cilicia, quæ nunc *Carmania*, longissimo tractu inter Taurum & Cilicium mare porrecta, fluvios celebres habet, Calycadnum, Lamum, Cydnum, Sarum & Pyramum.

Vrbes

Vrbes claræ sunt in litore, Selenus, Pompejopolis, ante Solæ Cilicii dicta, Mallus & Issus, quæ sinui cui adjacet, nomen Issici dedit: intus Tarsus, D. Pauli Apostoli natalibus clara.

CAP. XX.

Summa Syriæ descriptio: item Palæstinæ; sub qua Idumæa & Iudæa.

CIliciæ ab Ortu jungitur Syria, quondam terrarum maxima & pluribus distincta nominibus. Namque & Assyria, & Mesopotamia, & Babylonia, & Phœnice, & Palæstina, partes ejus fuerunt. Olim ac diu potens; sed cum eam regno Semiramis tenuit, longe potentissima. At postmodo Assyria, Mesopotamia & Babylonia avulsis, Syriæ fines fuere à Septemtrione Amanus mons, quo à Cappadocia & Armenia separatur; ab Ortu Euphrates amnis, quo discernitur à Mesopotamia, usque ad Thapsacum opidum, atque inde Arabia deserta; à Meridie Arabia Petræa; ab Occasu ejusdem Arabiæ Petrææ parte & mari Syriaco, sive Phœnicio, Amanoque monte quo à Cicilia submovetur. Longitudo inter Sirbonis paludem & Taurum montem, qua eum perrumpit Euphrates, mill. C XL. Latitudo inter mare & Arabiam desertam mill. L.

Dividitur in Palæstinam, Phœnicen, Antiochenen, Comagenen & Cœlen.

Palæstina.

Palæstina clauditur à Septemtrione Phœnice, ab Ortu Cœlesyria, à Meridie Arabia Petræa, ab Occasu ejusdem Arabiæ parte & mari Syriaco. Dicta fuit quondam Terra Chanaan, à Chanaan filio Cham, qui eam obtinuit. posteaquam vero Israëlitæ eam, pulsis antiquis cultoribus, ex divino mandato obsederunt, Iudæa nuncupari cœpit. Romanis Græcisque scriptoribus dicta est Palæstina, à magna olim gente Palæstinorum, quos sacræ litteræ Philistim vocant. Dividitur iisdem scriptoribus in Idumæam, Iudæam, Samariam & Galilæam.

Idumæa.

Idumæa, quæ in sacris litteris est Edom, inter Arabiam Petræam, Iudæam & mare internum porrectæ urbs ingens fuit & munita admodum Gaza, (sic Persæ ærarium vocant) cui inde nomen, quod Cambyses, cum armis Ægyptum peteret, huc belli & opes & pecuniam intulerat. Expugnatam Alexander vastavit.

Iudæa.

Idumæam sequitur Iudæa, cujus caput Hiero-




MARE MEDI-
TERRANEUM.
PHOE-
NI-
CIA.
COELE SY-
RIA.
PA-
LÆSTI-
NA.
ARABIA
DESERTA.
ARABIA PETRÆA.
ÆGYP
TUS
MARE
RU
BRUM
Desertum
Zur
Desertum Zin
Proconi
Laraca
Tripolis
Gabila
Pharphar flu
Sidon
Tirus
Hemat
Ceneret
Dan
Dotham
Tiberias
Cinneret
Cesaria
Antipatris
Lidda
Joppe
Sichem
Succoth
Mahanaim
Gadt
El-Bethel
Ephra
Acc
Ierusalem
Bethlem
Ascalon
Gase
Berseba
Gerar
Beret
Cades
Gomorra
Sebeim
Petra
Madian
Lasa
Abarim
Montes
Dibea
Arnon
Abel
Hesbon
Rabba
Iaboc flu
Adra
Zora
Aroer
Damascus
Ina
Abila
Helipolis
Emessa
Epiphania
Iabruda
Gera
Elere
Bosra
Surrata
Cademoth
Esbuta
Ziza
Rabbath
Anita
Toana
Necla
Moca
Adron
Elath
Macna
Onne
Esiongeber
Sinai
Horeb
Mara
Zur
Pharan M.
Hor
Pelusium
Phacusa
Pithon
Rameses
Cairus
Delta
Soan
Pathros
Pelusiacum flu
Tanitium flu
Mendesium flu
Pameticum fl
C. Brute
Migdol
Afroditopolis
Angira
Baalzephon
Dane
PALÆSTINA
et
PHOENICE
cum parte Cœle-
Syria.



Hierosolyma, longe clarissima urbium Orientis, non Iudææ modo. Titus Vespasianus captam totam diruit. Ælia Capitolina postea dicta, cum ab Ælio Adriano, mutata nonnihil loci regione, restitueretur. Nunc Turcis incolis *Chutz* est. Reliquæ Iudæorum urbes celebres fuere in litore Ascalon, magna, & non minor Azotus; item Iamnia, & Ioppe, Phœnicum urbs antiquissima, quam Mela ac Plinius antiquiorem terrarum inundatione prædicant. Hic Andromedam belluæ marinæ expositam fuisse, fabulati sunt. Intus Emmaus, vicus ante, & Lidda & Hiericus, quæ Iericho in sacris litteris: & prope Hierosolyma Bethlehem, vel nobilissima in toto orbe terrarum Iesu Christi humani generis Servatoris natalibus.

At pars Iudææ Peræa dicta fuit, hoc est, Vlterior; quia πέραν & Ἰορδάνης, id est, trans Iordanem, sita. In ea Macherûs, secunda quondam arx Iudææ ab Hierosolymis.

Iordanis fluvius & Asphaltites lacus.

Sed de Iordane hoc loco retulisse conveniat. Iordanis igitur amnis, qui Hebræis *Iarden*, oritur, ut auctor est D. Hieronymus, ex duobus fontibus haud procul à se dissitis, quorum alteri *Ior* nomen est, alteri *Dan*; conjuncti nomen amni faciunt *Iordan*, sive Iordanis. Ipse amœnus, & quatenus locorum

rum ſitus patitur, ambitioſus; accoliſque ſe præbens, velut invitus Aſphaltiten lacum, dirum natura, petit, à quo poſtremo ebibitur, aquaſque laudatas perdit, peſtilentibus miſtas. At à fontibus CCCLXXXIV circiter ſtadia prolapſus, ubi prima vallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit Samochoniten; inde in multo majorem, quem Latini Geneſaram, Græci Geneſaritin & Tiberiadem, ab opidis adpoſitis dixerunt. Sacrorum librorum ſcriptores eadem ratione ſtagnum Genezareth & mare Tiberiadis vel Galilææ vocant. Inde Samariam Iudæamque perfundens, tandem Aſphaltite lacu retinetur.

Aſphaltites nihil præter bitumen gignit; unde & nomen ἀπὸ τῆ ἀσφάλτε. Neque piſces, neque ſuetas aquis volucres patitur, ſapore corrupto & gravitate odoris peſtifer. Idem propter magnitudinem & aquæ immobilitatem, Mortuum mare dicitur. Nam neque ventis impellitur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur; neque navigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur; nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur. At nullum corpus animalium recipit: tauri camelique fluitant, periti imperitique nandi perinde attolluntur.

CAP.

Cap. XXI.

Samaria, Galilæa, Phœnice & Libanus.

Iudææ jungitur Samaria, aliquanto latius juxta litus extensa; quidpe & Ioppe, & Azotus, & Ascalon Samariæ opida, ab auctoribus usurpantur. Caput regionis est Samaria, quæ & Sebaste; Neapolis & Gamala, atque in litore Apollonia.

Galilæa.

Vltima Palæstinæ est Galilæa, cujus caput in litore Turris Stratonis, eadem postea Cæsarea Stratonis, sive Cæsarea Palæstinæ, ab Herode Rege de novo condita. Intus ad lacum Genesaram, seu mare Galilææ, Capernaum, Iulias, Bethsaïda, Tiberias, Tarichea, inter lacum & mare Phœnicium Nazareth, Christi redemptoris nostri domicilium: & Cana Galilææ, sive Minor. At notandum hoc loco, unam equidem hanc esse Græcis Romanisque scriptoribus Galilæam: in sacris autem literis duas censeri; quarum altera jam explicata, Inferior est cognomine; altera vero Phœnices pars est, Galilæa Superior dicta, seu Galilæa Gentium.

Phœnice.

Phœnice ante erat, quidquid terrarum inter

inter Eleutherum flumen & Peluſium opidum Ægypti mari interno objacet. At poſtea Phœnices termini conſignati ſunt duo amnes, à Meridie Cherſeus, à Septemtrione Eleutherus. Hæc igitur ſacris ſcriptoribus in duas dividitur partes; Galilæam ſuperiorem ſive Gentium, quæ eſt inter Cherſei fluminis oſtia & Antilibanum montem; & Syrophœnicen inter Antilibanum & Libanum. Vrbes in univerſa Phœnice claræ, in litore Ptolemais, ante Ace dicta, ſacris litteris Acon. Tyrus, quondam inſula, poſtea vero Alexandri oppugnantis operibus continens facta; Zor dicitur in ſacris Scriptis; & nunc *Sur* incolis: olim portu clara, urbibus genitis in Africa Lepti. Vtica & illa Romani imperii æmula Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Poſtea vero omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura conſtitit. Sequitur Sarepta, Eliæ Prophetæ hoſpitio nota. Dein diu opulenta Sidon; antequam à Perſis caperetur, maritimarum maxima; artifex vitri; Thebarumque Bœotiarum parens. Berytus, quæ & Felix Iulia, nunc etiam clara *Baruto*; Byblus, Botrys & Aradus. Inter hanc & Botryn Tripolis, quam Tyrii, Sidonii & Aradii conditores obtinuerunt: Dicta ex numero trium opidûm, ſingulis inter ſe ſtadiis diſtantium. Intus Antaradus, Palæobyblus, Marathus. Mons nobilis Libanus, à tergo Sidonis orſus,

M. D. ſtad. in Cœleſyriam uſque porrigitur. Huic par, interjacente valle, mons adverſus Antilibanus obtenditur, quondam muro conjunctus. In ea parte Phœnices, quæ Galilæa Gentium vocatur, mons eſt celebris Carmelus, & opidum in eo eodem nomine, quondam Ecatana dictum.

Cæterum ipſa gens Phœnicum ſollers hominum genus, & ad belli pacisque munia eximium. Litteras & litterarum operas, aliaſque etiam artes, maria navibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum prœliumque commenti.

CAP. XXII.

Antiochene, Comagene & Cœleſyria.

Antiochene.

ANtiochenæ, quæ ſequitur Phœnicen, caput eſt ipſa Antiochia, cognomento Epidaphnes, urbs celeberrima, Syriam regentium ſedes. Inde non minori fama Apamia, Laodicea, & Seleucia cognomine Pieria: unde ipſa regio Tetrapolis dicta fuit, à quatuor urbium dictarum numero; eadem & Seleucis. Mons eſt Caſius, unde regio Caſiotis; & alius Pieria, regioque eodem nomine. Fluvii celebres, Belus, Lycus & Adonis.

Coma-

Comagene.

Vltima Syriæ est Comagene. Caput quondam regni, postea provinciæ Romanæ, Samosata, Luciano alumno maxime nota.

Cœle-Syria.

A tergo dictarum Syriæ regionum, à Iudæa Peræa ad Euphratem usque protenditur alterius Syriæ pars κοίλη Συρία Græcis dicta, id est, Cava Syria. Partes ejus insigniores sunt Decapolis; Tetrarchiæ & Palmyrene.

Decapolis regio, à decem urbium numero dicta fuit. In his fuere Damascus caput, Otopon, Philadelphia, Raphana, Scythopolis deductis Scythis, antea Nysa vocitata, à Libero sepulta ibi nutrice, Gadara, Hippos Dios, Pella, Gerasa, Canatha.

Supra Decapolitanam regionem sunt Tetrarchiæ numero XVII; regionum instar singulæ, & in regna descriptæ. Insigniores sunt Trachonitis & Paneas, in qua Iordanis fontes & urbs Cæsarea, cognomine Paneæ seu Philippi.

Palmyrene.

Libanum montem ab Oriente tangit Palmyrene; cujus caput Palmyra, urbis nobilis situ, vasto undique ambitu arenis includit agros:

agros: ac velut terris exemta à rerum natura, privata sorte inter duo imperia summa, Romanorum Parthorumque, & prima in discordia semper utrimque cura.

In reliqua vero Cœlesyria urbes insignio-res sunt, Zeugma ad Euphratem, Bambyce, quæ & Hierapolis, Syris vero Magog, nunc *Alepo*, Chalcis, cognominata ad Belum, unde regio Chalcidene fertilissima Syriæ; & Cyrrhestica Cyrrhus: Beroë & Chalybon, unde regio Chalybonitis, Laodicea ad Libanum cognominata, & Thapsacus, in Euphratis ripa.

Cap. XXIII.

Mesopotamia & Babylonia.

Inter Euphratem & Tygrim regio à situ dicta est Mesopotamia; quasi μέση τ̃ ποτα-μῶν, id est, media inter amnes: pars quondam Assyriorum regni. Nunc *Aliduli* & *Diarbech* partes ejus. Clauditur ab Occasu & Meridie Euphrate, ab Ortu Tigri, à Septemtrione eodem Tigri & Niphaticis jugis. Longitudo ejus est inter Niphaten montem, qua Comagenæ jungitur, & Seleuciam Parthorũ cognominatam ad Tigrim. mil. CLXV. Latitudo summa inter dictos amnes milliar. LXX. Regiones in ea sunt Anthemusia, Chalcitis, Gauzanitis, Acabene, Ingine & Ancobari-

barites. Vrbes præclaræ Edessa, quæ quondam Antiochia, Nisibis, ipsa etiam Antiochia ante dicta, Nicephorium, Labbana, Seleucia ad confluentem Tigris & Euphratis, jam ante dicta, Carræ, Crassi clade nobiles. Montes sunt Masius & Singaras. Fluvii in Euphratem defluentes Chaboras & Saocoras.

Tigris & Euphrates.

Sed de Tigri & Euphrate, nobilissimis Orientis amnibus, hoc loco dixisse, aptissimum fuerit.

Oritur Tigris, qui nunc accolis *Tigil*, in Armenia Majore, fonte conspicuo in planitie; qua tardior fluit, Diglito, unde concitatur, à celeritate Tigris (ita adpellant Medi sagittam) incipit vocari, transvectus lacum Arethusam, occurrente Tauro monte specu mergitur, subterque lapsus à latere altero ejus erumpit. Alterum deinde transit lacum, qui Thospites adpellatur: rursusque in cuniculos mersus, post XXV M. p. redditur. dein receptis aliis ex Armenia Assyriaque fluminibus, Assyriam Mesopotamiamque disterminat; citraque Seleuciam divisus in duos alveos, altero Seleuciam, altero Ctesiphontem, petens, insulam efficit haud modicam. Vbi remeavere aquæ, Pasitigris adpellatur, moxque in lacus Chaldaicos se fundit. inde vasto alveo profusus binis ostiis infertur mari Persico.

At

At Euphrates, qui *Frat* nunc accolis, in Majori itidem Armenia exorsus, initio Pyxirates nominatur: ubi Taurum occurrentem irrumpit, Omira, & mox, ubi perfregit, Euphrates dicitur. Inde læva Mesopotamiam, dextera Syriam, Arabiam, Babyloniamque radens, in plures alveos dispescitur; quorum uno Seleuciam & Tigrim petit; altero, qui Regius dicitur, Babylonem permeans, in paludes Chaldaicas distrahitur: transvectusque, quondam suo ore in mare evolvebatur: postea vero ab accolis agros rigantibus præclusus, non nisi per Tigrim delatus. Increscit autem & ipse Nili modo, statis diebus, ac Mesopotamiam inundat.

Babylonia, nunc *Caldar*.

Assyriæ Mesopotamiæque pars erat Babylonia: postea vero in singularem provinciam descripta. Clauditur à Septemtrione Euphrate, ab Ortu Tigri, à Meridie Persico mari & montibus Arabiæ desertæ, ab Occasu iisdem jugis & Euphrate amne. Regionum illustrissima est Chaldæa, deinde Mardocæa & Auchanitis; quæ autem Tigri & Euphrate tanquam insula includitur, Mesene adpellatur. Vrbium clarissima Babylon, Chaldæorum quondam caput, à Semiramide in sedem regni Assyrii condita. nunc in exiguis ruinis exstincta jacet. Secunda ab hac est Vrchoa,

quæ

quæ Vr Chaldæorum in sacris scriptis. dein Borsippa ad paludes: & Teredon nobilissimus inter Tigris ostia vicus.

CAP. XXIV.

Arabia.

ULtima Asiæ proximaque Africæ est Arabia, terrarum nulli postferenda, amplitudine spatiosissima. Quidpe ultra proprios etiam fines, & Euphratem in Mesopotamiam ad Amanum usque & Niphaten monteis, multas Arabum gentes Tigranes magnus deduxit. Hinc Plinio magna Mesopotamiæ pars Arabia dicitur. Quin & alia haud exigua Arabum pars fuit in Africa sub Ægypto, totum illud sinus Arabici latus cingentes; de quibus postea in ipsa Africa.

At propriæ Arabiæ fines fuere ab Ortu montium juga, quibus à Babylonia discernitur, & mare Persicum; à Meridie mare rubrum, ab Occasu Arabicus sinus & Isthmus, qui est inter hunc sinum & mare Ægyptiacum, à Septemtrione clauditur Palæstina Cœlesyriaque & Euphrate. Longitudo ejus summa est à mari Ægyptio ad fauces usque Persici sinus & Corodamum promont. mill. Germ. CCCCL. Latitudo maxima inter geminas, hinc Persici, illinc Arabici, sinuum fauces CCCXL. minima circa mediam peninsulæ

insulæ partem milliar. CLXXX. Dividitur in Petræam, Desertam atque Felicem.

Petræa.

Petræa clauditur ab Occasu intimo sinu rubri maris & Ægypto ; à Septemtrione Palæstina & Cœlesyria ; ab Ortu Arabia deserta ; à Meridie montium perpetuis jugis, quibus à Felice separatur. Dicta Petræa, à Petra capite suo, urbe celeberrima, Nabatæorum gente incolente. Reliquæ urbes insignes sunt, Medava & Bostra. Mons est nobilis Casius, cum delubro Iovis Casii ; & haud procul Pompeji Magni tumulus.

Deserta.

Deserta, quæ nunc *Arden*, clauditur ab Occidente Petræa & Cœlesyria, à Septemtrione Euphrate, ab Ortu montibus, quibus à Babylonia submovetur ; à Meridie itidem montibus, quibus à Felice disterminatur. Plana equidem maxima ex parte ; at sterilis, ideoque deserta. Populi illustriores Nomades & Scenitæ ; hi ultra Euphratem in Mesopotamiam protensi, iidemque in Felicem.

Felix, quæ nunc *Ayman.*

Ipsa vero peninsula Arabia, inter duo maria, Rubrum Persicumque, procurrens, reliquis partibus major est multoque lætior ac

ditior ; cinnami ac thuris , aliorumque odorum maxime ferax ; unde inclytum ei Beatæ cognomen. Fluvii nobiliores duo , Betius Arabicum, Lar Persicum sinus petentes. Populorum hic nomina innumera. at clarissima, Saracenorum non modo Africam , sed Europam etiam vastantium : Minæorum & Sabæorum , qui Soli thus mittunt. Vrbes insigniores , ad Arabicum sinum Badeo regia, Pudnopolis, Muza, Ocelis : ad Rubrum mare Arabia & Cana : ad mare Persicum Gerra. Intus Ostama, Maraba, Sabe, Manambis Regia, Sapphar ; Sabatha & Omanum.

CAP. XXV.

De Turcico imperio, urbibusque sub eo claris.

HÆ igitur sunt regiones Asiæ, quæ, cum antea sub Assyriorum, Persarum , Macedonum, Romanorum , ac suorum quæque Regum imperiis omnium nobilissimæ censerentur, Turcarum adventu prorsus devastatæ barbarieque postrema fœdatæ sunt. Solent quidpe Turcæ capta aliqua urbe, fabricas omnes eminentiores demoliri mœniaque diruere. Horum autem imperium cœpit sub annum Christi cIↃ ccc , Osmane (quem alii Ottomannum vocant) primo conditore, tenuis conditionis homine Tattaro , Magnt

gni Chani milite ; à quo descendentes Osmanides regnarunt continua serie an. CCCIX, ad usque Murathem IV. qui nunc imperio potitur. Prima sedes imperii fuit in Asia, in Bithyniæ urbe Prusa : hinc in Europam Adrianopolim Thraciæ translata ; denique Constantinopolim, ubi etiam nunc consistit.

Cæterum urbes in tam vasto imperio perpaucæ sunt in Asia memoratu dignæ. Omnium tamen princeps est Damascus Syriæ, magna, dives, splendida atque amœna ; omni fructuum genere abundans ; emporium celeberrimum, præstantissimis artificibus refertum ; officina armorum bellicorum totius imperii nobilissima. Sequuntur alia Syriæ emporia clara atque celebria ; Alepum, vulgo *Alepo*, non inferior *Damasco* urbs ; magna & frequens. In litore Alexandriola, vulgo *Alexandretta*, Berytus, vulgo *Baruto*, Tripolis Syriæ, vulgo *Tripoli di Soria*, & Ioppe, vulgo *Iaffa*. Ad Pontum in Cappadocia Trapezûs, vulgo *Trabezonda*, Imperii Trapezuntini quondam caput. In Arabia vero Felice *Medina Talnabi*, id est, urbs Prophetæ ; quia Mahumetis Pseudo-prophetæ delubrum atque sepulchrum in ea visuntur. *Mecca*, ejusdem Mahometis natalibus maxime nota ; *Zidem*, *Zibit*, & *Aden*, omnium pulcherrima & munitissima, ad fauces sinus Arabici sita.

CAP. XXVI.

Cyprus & Rhodus.

Cyprus.

INsulæ in Ægæo mari Asiæ objacent complures, harum nobiliores Lesbum, Chium, Samum & Côn in Europa memoravimus. At in Asiatico mari sunt Cyprus & Rhodus. Cyprus, in Issico sinu inter Ciliciam & Syriam, in quatuor majoribus Interni maris computata est, novem regnorum, ut referunt veteres auctores, quondam sedes; cœli clementia solique fertilitate beatissima: unde Macaria ante dicta fuit. Cyprus autem dicitur ab æris copia, quod hic primum inventum creditur. Incolæ, viri pariter ac fœminæ, in libidinem lasciviamque omni ævo mire proni; unde olim Veneri insula consecrata fuit. Longitudo est inter duo promontoria, Dinaretum, vulgo *Capo S. Andrea*, & Acamanta, vulgo *Capo S. Epifanio*, mill. XL. Latitudo maxima XV.

Divisa fuit quadripartito: in Salaminam, Paphiam, Amathusiam & Lapithiam. Mons in ea nobilis Olympus. Fluvii Lycus & Pediæus. Vrbium clarissimæ Paphos & Salamis.

Insula, antequam Romani occuparent, regibus regebatur, quorum ultimus Ptolemæus

mæus accepta fama de Romanorum in insulam expeditione, veneno fata præcepit. Cæterum Por. Cato Cyprias opes Romam invexit: quæ res latius ærarium populi Romani, quam ullus triumphus, implevit. Post divisum imperium Romanum sub Græcis fuit Imperatoribus. Anno CIↃ CLXXXI Richardus Angliæ Rex, cum copias Hierosolyma contra Saracenos ducens, tempestate ad insulam dejiceretur, insulani vero non admitterent, vi & armis eam occupavit, & cuidam Gallo Guidoni dedit in regnum. Huic reges successerunt continua serie, usque dum in Genuensium ditionem pervenit. Inde Veneti eam rexerunt ab anno CIↃ CCCCLXXIII ad CIↃ IↃ LXX. quo anno Turca Selymus Christianis eripuit.

Caput regni est *Nicosia*. Secunda ab hac Famagusta, vulgo *Famagosta*. Tertia Ceraunia, vulgo *Cerines*.

Rhodus.

Minor est amplitudine, at par claritate Rhodus insula, pluribus nominibus ante vocitata, re nautica maxime nobilis. Complectitur ambitu milliar. German. xxx. Vrbes in ea fuere claræ, Lindus, Camirus & Ialysus, quæ postea Rhodus.

Ante omnia autem in admiratione fuit Solis Colossus Rhodi, LXX cubitorum altitudinis.

tudinis. Hoc simulacrum post LVI annum terræ motu prostratum, sed jacens quoque miraculo fuit. Pauci pollicem ejus amplectebantur. Majores erant digiti, quam pleræque statuæ. Vasti specus hiabant de fractis membris. Duodecim annis tradunt effectum CCC talentis, quæ contulerant ex apparatu Regis Demetrii, relicto moræ tædio. Fuerunt alii minores hoc in eadem urbe Colossi, centum numero, sed ubicunque singuli fuissent, nobilitaturi locum. Majorem postea Sultanus Ægypti Rex, postquam Rhodum occupaverat, nongentis camelis ære impositio, Alexandriam transportari curavit.

De cætero ipsa insula regibus primum regebatur: postea in Romanorum, una cum Asia, incidit potestatem. Diviso imperio sub Græcis fuit. Dein Saraceni occuparunt ann. Iↄ CXV. qui Colossum abstulerunt. Recuperatam ann. CIↄ CCCVIII Equites Ioannitæ tenuerunt usque ad ann. CIↄ IↄXXII, quo Solimannus II Turcarum Imp. occupavit. Pulsis tunc Melita concessa est.


AFRICA.
OCEANUS ATLANTICUS.
HISPANIA
Mare Africum
Herculis Fretum
Cerné Insulæ Fortunatæ
Tingitana Cæsariensis
Africa minor
TUNIS
ARIA
BARB
Libyæ Deserta
Barca Desertum
Cyrenaica
Crete
Sicilia
Cyprus
Mare Ægyptiacum
Cilicia
Syria
Mesopotamia
Arabia Deserta
Arabia Petræa
Babilonia
Sinus Persicus
ASIÆ PARS.
ARABIA FELIX.
Sinus Arabicus
Elfocat Desertum
Libya Exterior.
Troglodytæ
Gaoga
Berdoa
GERID.
BI LEDULTULIA
Gætulia
Zanhaga
Gualata
Hoden
Geuoha
Libya
Tombuti
Interior Desertum
Guangara
Nubia
Dafila
Barnagasso
Nigri
ÆTHIOPIA
Zanfara
Senega
Mellis
Temian
Dauma
GUINEA
Benin
Biafra
Medra
Ambian cantiva
Baganiadri
Abissina
Belegu
Angote
Fatigar
Olabi
Baru
Dangali
Dobas
Balle
Aian
Del
Aromata
MARE RVBRVM.
Linea Æquinoctialis
OCEANUS ÆTHIOPICUS.
Congo
Damut
Ægypto
Zaffa
Fungi
Melinde
Mombaza
Kiloa
Zanzibar
Sofala
Tirat
Montes Luna
Mozambique
Civitas S. Salvatoris
Bamba
Zaire Lacus
Malembo
Cafares
MONOMOTAPA
Cerne hod. Madagascar
S. Spiritus flu.
Promont. bonæ Spei

LIBER SEXTVS.

Cap. I.

Summa Africæ descriptio.

ASIÆ exiguo Isthmo annectitur maxima Orbis terrarum peninsula Africa, tria millia & triginta circiter mill. German. ambitu complectens. Isthmi intercapedo est mill. xxv. Pleraque Africæ inculta, & aut arenis sterilibus obducta, aut ob sitim cœli terrarumque deserta sunt, aut infestantur multo ac malefico genere animalium; in universum vasta est magis quam frequens. Quædam tamen partes eximie fertiles. Græcis Libya dicitur, à Libya Epaphi filii Iovis filia: Africam autem ab Afro Libys Herculis filio dictam volunt. Maria eam cingunt, qua Sol oritur Rubrum, qua medius dies Æthiopicum, qua occidit Sol Atlanticum; ab Septemtrionibus Internum, Africum seu Libycum dictum, qua eam alluit. Longitudo summa computatur ab Herculis freto ad promontorium Bonæ Spei mill. Iɔcc. Latitudo inter duo promontoria, Hesperium, vulgo *C. Verde*, & Aromata, quod est juxta fauces Arabici sinus, vulgo nunc *Coarda fui*, mill. Iɔl. Terra ipsa, nisi qua interno mari

accedit, obscure veteribus nota. Vltra autem Nili fontes ac montes Lunæ prorsus incognita.

Regiones atque gentes in quas divisa fuit quondam, sunt, Ægyptus, Cyrenaïca, Africa Minor, seu proprie dicta, Troglodytæ, Garamantes, Numidia, Mauritania, Gætulia, Libya interior, Arabia Troglodytica & Æthiopia.

Cap. II.

Ægyptus.

Prima Africæ Asiæque proxima est Ægyptus, quam veteres Geographi in Asiæ regionibus computarunt. At posteriores, Arabico sinu, ut ante dictum, inter Asiam Africamque termino constituto, Africæ eam contribuerunt.

Nomen traxit ab Ægypto Danai fratre; ante Aëria dicta. Terminatur à Septemtrione suo mari, id est, Ægyptio, ab Ortu Arabia Petræa & dicto sinu; à Meridie Æthiopia, ab Occasu Cyrenaïca. Longa est à Pelusiaco Nili ostio ad Catabathmum opidum milliar. CL. Lata à Nili ostiis, ad opidum Metacompsum Nilo adpositum, nunc *Conzo*, mill. C.

Divisa fuit generatim in Superiorem, quæ in Meridiem vergit, & Inferiorem, quæ mari interno alluitur. Superiorem rursus Nilus divide-

dividebat in Libycam, qua Occidentem, & Arabicam, qua Orientem spectat. Hinc populi Arabægyptii, illinc Libyægyptii, dicti. Inferioris pars est Mareotis, sive Marmarica, ultima versus Occidentem Cyrenaïcæ contermina. Speciatim vero universa Ægyptus in complures præfecturas descripta erat, quas Græco vocabulo Nomos vocarunt.

De urbibus Ægypti.

Ægyptus super ceteram antiquitatis gloriam, viginti millia urbium sibi Amase regnante habitata quondam prætulit; postea quoque sub Romano imperio multis, etiamsi ignobilibus, frequens.

Clarissima omnium fuit Alexandria, caput Ægypti totiusque Africæ, post deletam Carthaginem prima; ab Alexandro Magno condita; postea in tantam aucta multitudinem atque frequentiam, uti uni tantum Romæ cederet. Secunda ab hac Diospolis, sive Thebæ cognomine Ægyptiæ; quas centum portas habuisse ferunt; sive, ut alii ajunt, centum aulas, totidem olim Principum domos; solitasque singulas, ubi negotium exegerat, ducenos armatos milites effundere. Deinde Memphis, regia quondam: juxta quam pyramides, regum sepulchra. Turres sunt fastigiatæ, ultra celsitudinem omnem, quæ fieri

manu possit ; itaque mensuram umbrarum egressæ, nullas habent umbras, regum pecuniæ otiosa ac stulta ostentatio. Reliquæ urbes sunt, Syene, Sais, Bubastis, Elephantis, Tentyris, Arsinoe & Abydus, Memnonis olim regia ; postea Osiris fano inclyta: & Arabiæ contermina, claritatis magnæ Heliopolis, id est, Solis urbs. In Marmarica vicus fuit Apis, nobilis religione Ægypti locus. Fuit & Labyrinthus nullo addito ligno exædificatus, domos mille & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore exstructus & tectus, unum in se descensum habens, intus pene innumerabiles vias, multis ambagibus huc & illuc remeantibus.

Cap. III.

De incolis Ægypti ac Nilo flumine ; item de Libya exteriore.

Ipsi Ægyptii, hominum vetustissimos se prædicantes, cum Scythis de gentis antiquitate olim contenderunt. Antiquissimos esse post Syros, vel ipsa sacra Scriptura attestatur. Disciplinarum complurium inventores rerumque divinarum ac siderum peritissimi dicti sunt. quare ad eos Dædalus, Melampus, Pythagoras, Homerus & alii complures eruditionis causa profecti.

Sub regibus esse jam inde ab initio rerum con-

consueverunt, modo suis, modo Æthiopibus; dein Persis ac Macedonibus; moxque iterum suis, donec Romani, Augusto debellante, in provinciam redegerunt Ægyptum. Post hoc Saraceni eam occuparunt: quibus successit Sultanorum inclytum nomen, ex Circassis Tattarorum gente ortum. Postremi Turcæ ann. cIↃ IↃxvI invaserunt, qui etiam nunc tenent.

Nilus.

Sed de Nilo hoc loco pauca quædam retulisse haud abs re fuerit. Terra ipsa Ægyptus expers imbrium mire tamen fertilis, & hominum aliorumque perfœcunda generatrix. Nilus id efficit, amnium in internum mare permeantium maximus. Hic in Africæ desertis, montibus Lunæ ortus, haud statim Nilus est, & primum ingentem lacum Nilidem, qui nunc *Zaire* & *Zembre* dicitur, cxx. milliar. German. permeans, cum diu simplex sævusque receptis dextera magnis aquis descendit, Astapus cognominatus, quod Æthiopum lingua significat aquam è tenebris profluentem, circa Meroen, Insularum, quas innumeras lateque patentes spargit, clarissimam, lævo alveo Astabores dictus est, hoc est, ramus aquæ venientis è tenebris; dextero vero Astusapes, quod latentis significationem adjicit, nec ante, quam ubi rursum coit, Nilus

dictus est. Inde partim asper, partim navigia patiens; mox præcipiti cursu progressus, inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere. Postea lenis, & fractis aquis domitaque violentia, & spatio fessus, tandem ad Δέλτα opidum per omnem Ægyptum vagus & dispersus, septem ingentibus ostiis in mare Ægyptium se evomit. Bis in anno, certis diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terris. Causas hujus incrementi varias prodidere; sed maxime probabiles duas: Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum, ultro in ora acto mari: aut imbres Æthiopiæ æstivos, iisdem Etesiis nubila illò ferentibus ex reliquo orbe. Idem amnis unus omnium nullas expirat auras.

Libya exterior.

Cæterum à tergo Ægypti versus Meridiem, juxta sinistram Nili ripam, Libya est exterior ad Æthiopiam extensa. nunc est *Elfocat* desertum & *Gaoga*.

CAP. IV.

Cyrenaïca, Africa Minor, Libya deserta, Troglodyta & Garamantes.

ÆGypto annexa est Cyrenaïca regio, Ammonis oraculo maxime clara, nunc Bar-




Arsinoe
Apollonia
Catabathmus magnus
Ptolemais
Cyrene
Berenice
Pentapolis
Lib
Antrite
yarchæ
Menelaus
Zygrutæ
Apis
Chattu ni
Zygus.
CYRENAI-
CA
Apotimatæ
Buzes.
Adyrmachi da.
Nitriotæ.
Nasamones
Ammon
Hammenica reg.
AFRICA MINOR.
Africum Pelagus
Rusicada
Cirta
Cellæ
Tab
Lib
Clupea
Curubis
Carthago
Hippo bulla Numi dia.
Utica
Adrumetum
Rhuspina
Leptis parva
Thapsus
Thenæ
Tanatuda
Thapsus
Taphrum
Syrtis min.
Amasgas fl.
Mis lani
Ozuti.
Ocea
Leptis Magna
Psecida
Capsa
Zuchis
Tripolitana reg.
Syrtis maior
Cyrenaica
Abrotonum
Psylli.
Gerrha
Bagradas fl.
Tritonis fl.
Maurusij.
Nycpy.
Antomalæ
Dolopes.
Ciniphus fl.
Eleiones.
Nasamones.
Ater M.
Vsseltitus Mons
MAURITANIA.
Fretum Herculeum
MARE INTERNUM.
Lixa
Salda
Tingi
Zilis
Carteia
Tipasa
Rusazus
Tucca
Rusicurum
Tabulsuptus
Livius
Rusconia
OCEANUS ATLANTICUS.
Tingitana.
Volubilis
Cæsariensis.
Massesyli.
Atlas minor
Gætulia.
Zuenziga.
Hasir.
ÆGYPTIUM MARE.
Pelusiacum ostium
Alexandria
Phacusa
Marcotis.
Catabathmus parvus
Sais
Bubastus
Syrbonis Lacus
Bus
Taris
IN
FE
RIOR
Marcotis palus
Sciathis
Hera
Memphis
Heliopolis
Moeris stagnum
Arabia Petræa
Arsinoe Iracia
Arsinoe
ARABICI
Ceme
Pentartemidos
SINUS
Nilus fl.
Paßalos
PARS
SUPE
Hyssopis
Abydus
Libya
Arabœ
Ienyra
Memnonium
Diospolis
Typhium
gypty
RIOR
Libya
Leucothea
Syene
Elephantis
Metacompsus
Ætiopiæ Pars.
ÆGYPTUS.



Barchanæ provinciæ dimidia pars Orientalis, eadem Pentapolitana dicta, à quinque insignium urbium numero, quæ Berænice, Arsinoe, Ptolemais, Apollonia, & ipsa Cyrene, unde regioni nomen. Græci hanc condiderunt, ex Thera insula Ægæi maris profecti. Ipsi Cyrenenses privata sorte inter Ægyptios ac Pœnos diu egerunt; dein cum Carthaginiensibus de agrorum finibus magnum ac diuturnum bellum gesserunt. Mox Carthagine deleta, & ipsi cum reliqua Africa Romano Imperio cesserunt. Posthinc solum eorum Sultanis, tandem Turcis.

Africa Minor.

Sequitur Africa Minor sive proprie dicta. Terminatur à Septemtrione Africo pelago, ab Ortu sinu magnæ Syrtis, à Meridie montium perpetuis jugis; quibus à Libyæ desertis & Gætulis discernitur: ab Occasu Tusca amne. Continet hodie Tunetanum regnum.

Fluvii in ea clari Cinyphus, Triton, Tritonidem paludem trahens: Catada, ad Carthaginem se devolvens, & Bagradas omnium maximus ad Vticam, ac Tusca terminus Africæ Minoris.

Populorum varia nomina. Clarissimi Nasamones, extra Africam propriam etiam Cyrenaïcæ & Marmaricæ contermini; quos antea Mesammones Græci adpellaverunt,

ab argumento loci, medios inter arenas sitos. & ab his sublati Psylli, quorum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ut cujus odore vel fugarent vel sopirent eas: & supra Carthaginem Libyphœnices, iidem & Pœni à Phœnice Tyro profecti, Duce Elisa sive Didone, quæ Carthaginem condidit.

Vrbium celeberrimæ Leptis magna, quæ & Neapolis, Abrotonum, Taphræ, Capsa, Thysdrus, Thapsus, Leptis parva, Rhuspina, Adrumetum, Clupea, Turres, Vthina & Carthago, Romæ æmula, terrarum cupida, opulentissima quondam totius Africæ, antequam Romani tribus bellis devictam deleverunt. Vtica Catonis, qui inde Vticensis, morte nobilis.

Libyæ deserta, Troglodytæ & Garamantes.

Ab Africæ minoris tergo versus Austrum Libyæ deserta fuerunt; ultraque Troglodytæ, nunc *Berdoæ* desertum. Hos tegit ab Austro Ater mons, & trans eum Garamantes populi clari, nunc *Borno* regnum. Caput gentis fuit Garama, quam hodieque eodem nomine exstare tradunt. Debris inclyta affuso fonte, cujus aquæ ex cœlesti quidem vertigine mutant qualitatem, at controversa siderum disciplina; quidpe qui friget calore, calet frigore; à medio scilicet die ad noctem mediam

mediam aquis ferventibus, totidemque horis ad medium diem rigentibus.

Cæterum & Troglodytas & Garamantas olim Romanorum arma superaverunt.

Cap. V.

Numidia & Mauritania.

Numidia.

A Tusca amne usque ad Ampsagam fluvium litori Africo prætenditur Numidia, Masiniſſæ Regis nomine maxime clara, nunc Tremisenum regnum eodem porrigitur situ. Gens ipsa Numidæ, ante Nomades à Græcis adpellati, à permutandis pabulis, mapalia sua plaustris circumferentes, ut nunc Tattarorum fert mos.

Fluviorum celeberrimus est Rubricatus. Vrbes quam plurimæ nobilesque; sed Cirtha eminens; Sittianorum, postquam Romani tenuere, colonia dicta: quondam Iubæ & Syphacis domus, cum foret opulentissima. Dein sequuntur Cullu, Ruscicade, Bulla regia, Tacatua, Hippo regius, Sicca, Tabrachæ: Hanc quoque regionem debellatam in provinciæ formam redegerunt Romani.

Mauritania.

Vltima ad Occasum est Mauritania, in qua præcipua gens Maurorum, unde nomen regioni.

gioni. Hos Græci Maurusios dixerunt. Terminantur à Meridie Atlante minori, quo submoventur à Gætulis: qui & ipsi postea oppressis & exstinctis Maurusiis Mauritaniæ majorem partem occuparunt: ab Occasu est Oceanus Atlanticus, à Septemtrione fretum Herculis & mare internum: ab Ortu primo Mulucham habuit flumen, quod Mauros à Numidis discernebat; at quum ea Numidiæ pars, quæ est inter Ampsagam & Mulucham, Mauritaniæ adjiceretur, finis huic constitutus est Ampsaga. Continet hodie tria regna: Darense, Fezense & Maurocitanum. Dividebatur autem olim Malva flumine in Cæsariensem quæ Numidiam contingit, & Tingitanam quæ Oceano perfunditur. Regna fuere ad C. Cæsarem usque Imperatorem, qui in duas divisit provincias.

Cæsariensis.

Cæsariensis provincia, quam nunc totam *Dara* regnum obsidet, antea Bocchi regnum adpellata fuit. Partem tamen inter Malvam & Mulucham Massæsylorum gens tenuit. Caput provinciæ Iulia Cæsarea, aliquando ignobilis, cum Iol esset; postea quia Iubæ regia, illustris facta. Reliqua opida sunt Cartenna, Saldæ, Opidum novum, Rusazus, Ruscurium, Rusconia, Tipasa, Tubusuptus & Tucca, impositum mari ac flumini Ampsagæ.

Tin-

Tingitana.

Tingitana provincia, quam nunc duo regna *Fez* & *Marocco* occupant, ab urbe Tingi, quæ nunc vulgo *Tanger*, cognomen accepit, ante Bogudiana dicta à Rege Bogud. Opida in ea, Tingi modo dictum, caput provinciæ, ab Antæo conditum; Iulia Constantia, Zilis, Volubilis & Lixus, vel fabulosissime ab antiquis narrata. Ibi quidpe regia Antæi, certamenque cum Hercule, & Hesperidum horti.

CAP. VI.

Gætuli, Atlas mons, Libya interior & Æthiopia.

Gætuli.

ATergo Mauritaniarum Africæque Minoris Gætulorum gens, & ipsa quoque Romanorum armis debellata, longe lateque incoluit, quidpe quæ hodie occupat quicquid terrarum à *Lempta* opido ad Oceanum usque, spatio mill. Germanicorum CCCL protenditur. Hoc spatio nunc est *Biledulgerit* provinciæ major pars, ubi *Targa* regnum, & quatuor deserta, *Lempta*, *Zuenziga*, *Zanhaga*, *Hair*.

Atlas

Atlas Mons.

Gætulos à Meridie claudit mons Atlas, totius Africæ vel fabulosissimus. E mediis hunc arenis in cœlum usque attolli prodiderunt celebrati auctores, asperum, squalentem, qua vergat ad litora Oceani, cui cognomen imposuit: eundem opacum nemorosumque, & scatebris fontium riguum; qua spectat Africam, fructibus omnium generum sponte ita subnascentibus, ut nunquam satietas voluptatibus desit. Incolarum neminem interdiu cerni: silere omnia haud alio quam solitudinum horrore. Eundemque noctibus micare crebris ignibus, Ægipanum Satyrorumque lascivia impleri, tibiarum ac fistulæ cantu tympanorumque & cymbalorum sonitu strepere.

Libya interior.

Vltra Atlantem Libya est interior ad Nigrum usque flumen, vastarum solitudinum, nunc desertum *Sarra* dicta.

Æthiopia & Troglodytica.

Iam vero quicquid ultra Nigrum flumen est & Ægyptum, versus utrumque mare Atlanticum Rubrumque, Æthiopes tenuerunt, gens omnium Africæ terræ amplissima, extra Africam à vetustissimis Geographorum posita.

posita. Ab Æthiope Vulcani filio cognominati; vel, ut alii, ab nigro vultus corporisque colore; αἰθίοψ quidpe significat nigrum.

Divisa fuit Æthiopia in varia Æthiopum genera; quorum Ptolemæus innumera tradit nomina. At clarissimi omnium fuere Nigritæ; à Nigro flumine dicti; & Nubiorum gens magna, unde hodieque vastissima regio dicitur *Nubia*. Ea autem Æthiopiæ pars quæ Nilo utrimque adjacet, Æthiopia dicitur sub Ægypto; atque in ea ad Nili paludes seu lacus Cinnamomifera regio. At totum sinus Arabici lævum latus Arabes tenuere Troglodytæ, unde regio ipsa Troglodytica.

Cap. VII.

De incolis universæ Africæ novaque ejus descriptione; ac primum de Ægypto.

Quinam mortales Ægyptum antiquitus incoluerint, ante dictum est. Reliqua Africæ versus Occasum mari adjacentia tenuerunt populi commemorati. Advenæ autem primi fuere Phœnicum coloni aliique ex Asia atque Ægypto profecti. Postea paruit Romanis; mox Græcis Imperatoribus totum hoc terrarum spatium. Deinde Vandalis, Saracenis, Arabibus. Nunc partem tenet Turca, partem

partem Serifus, quem vocant; partem reges alii, partem denique Hiſpaniarum Rex.

At Æthiopes à ſuo ſolo neque receſſerunt, neque in id alios colonos receperunt; id longinquitas effecit regionis immenſæque intercedentium deſertorum vaſtitates.

Sed enarrata Africæ antiquitate, res poſtulat, uti novam etiam ejus deſcriptionem ſubjiciamus.

Dividitur nunc univerſa in ſeptem potiſſimum partes ſive regiones, quarum nomina ſunt hæc: Ægyptus, *Barbaria*, *Biledulgerid*, *Sarra* deſertum, Nigritæ, Æthiopia Interior, ſive Superior, quod Abiſſinorum imperium, & Æthiopia Exterior ſive Inferior.

Ægyptus.

Ægypti (quam Turca obtinet) caput nunc eſt Cairum, vulgo *Alcair*, Chaldæis Alchabyr, urbs magnitudine ſtupenda, Emporium celeberrimum, Circaſſiorum Ægypti Sultanorum quondam regia. Prope eſt *Materea* hortus balſami fruticibus conſitus, quod uni terræ Iudææ quondam conceſſum, hodie niſi in hoc loco, nuſquam colitur.

Vltra Nilum pyramides viſuntur ſtupendæ altitudinis, ut ante memoravimus.

Secunda claritate à Cairo eſt Alexandria, ſplendida quondam atque opulentiſſima civitas,

vitas, nunc crebris bellis destructa atque concisa, celeberrimum Christianis mercatoribus præbet emporium. Nobile exinde est cum arce opidum *Raschitt*, quod Europæi *Rosettam* vocant. *Damiata*, olim Pelusium, Ptolemæi Geographi incunabulis insigne est.

Cap. VIII.

Barbaria.

Ægypto continuatur nobilissima totius Africæ regio Barbaria; in sex partes divisa, quarum una est provincia Barcana, quinque reliquæ sunt regna, Tunetanum, Tremisenum, Fessanum, Maurocanum & Darense.

Barcana regio.

Inter Ægyptum & Tunetanum regnum litori prætenditur Barcana regio, à Barce antiqua urbe cognominata, soli asperitate pariter ac siccitate sterilis.

Regnum Tunetanum.

Tunetanum regnum veterem Africam minorem ferme totam occupat. Caput est Tunetum, sive Tunisa, vulgo *Tunisi*; insignis, vetus ac satis ampla urbs, quæ ex Carthaginis ruinis crevit; emporium Venetis & Genuensi-

nuensibus aliisque mercatoribus celebre. Secunda est Tripolis nova, quæ Tripolis Barbariæ dicitur, ad differentiam Tripolis Syriæ: emporium est Europæis mercatoribus celeberrimum. *Bona* etiam, quæ olim Hippo, D. Augustini Episcopatu nota, nunc emporium haud postremum. Intus vero est Constantina Romanarum antiquitatum reliquiis conspicua.

Regnum Tremisenum.

Caput regni est *Tremisen*, amplissima quondam, bellis gravissimis postea tenuata. In litore est *Algier*, emporium satis nobile, at piratica infame, Christianis mancipiis refertissimum; urbs ipsa mœnibus, arcibus ac tormentis bellicis adeo munita, ut inexpugnabilis credatur.

Regnum Fessanum.

Ad ipsum fretum Herculis Hispaniæ objacet Fessanum regnum, cujus caput *Fez*, urbs totius Barbariæ princeps, ingens, opulenta, frequens, splendida ac magnificis superbisque ædificiis miranda.

Tanger, *Sebta*, & *Arzilla*, amplæ ad fretum urbes, Hispanicæ sunt ditionis.

Regnum

Regnum Maurocanum.

Caput est Maurocum, vulgo *Maroc*, amplissima ac celeberrima olim, inter maximas universi orbis memorata: at postea ab Arabibus divexata, nunc maligne colitur. Secunda est *Taradante*.

Darense Regnum.

Intus Maurocano, Fessano ac Tremiseno regnis confine est regnum Darense amplissimum, olim Cæsariensis Mauritania dictum. Caput est *Dara*, unde regioni nomen, tenuibus, ut totum regnum, atque egenis incolis habitata. *Melilla* ad mare internum conspicua urbs Hispano paret.

Cap. IX.

Biledulgerit, Sarra desertum, Nigritæ, Abissini.

A Tergo dictarum regionum est *Biledulgerit* regio, longissimo tractu ab Ægypti confinibus ad Oceanum Atlanticum porrecta. Nomen ei à dactylorum proventu inditum. Deserta in ea sunt, *Lempta*, *Hair*, *Zuenziga*, *Zanhaga* à singulis opidis cognominibus adpellata. Regna *Targa*, *Bardoa* & *Gaoga*, itidem ab opidis dicta.

Sarra

Sarra desertum.

Continuatur huic regioni versus Meridiem *Sarra*, cujus longitudo à regno *Gaoga* ad regnum *Gualata* extenditur.

Nigritæ.

Inde Nigritarum ampla est regio, ad utramque Nigri amnis ripam: longitudo ejus porrigitur à Nilo & Meroe insula, usque ad Nigri ostia & Oceanum. Regna in ea sunt hæc, ab urbibus denominata: *Gualata, Hoden, Genocha, Senega, Tombuti, Melli, Bitonin, Guinea, Temian, Dauma, Cano, Cassena, Benin, Zanfara, Guangara, Borno, Nubia, Biafra, Medra.*

Æthiopia Interior quæ est Abissinorum.

Interiori Æthiopiæ imperat Abissinorum Rex, qui Presbyter sive Pretiosus Ioannes, vulgo *Prete Gianni*, vocatur; magno, recepto tamen errore; cum is quondam in Asiæ, ut relatum est, regno *Tenduc* regnaverit. Abasenos populos recenset Stephanus in Arabia; unde verisimile est, eos in Africam trajecto sinu Arabico commigrasse. Aut sane in ipsa Africa fuerunt ad sinistrum Arabici sinus latus, ubi Arabiam Troglodyticam supra memoravimus. Hæc quidpe nunc sub Abissi-

Abiſſinorum imperio eſt. Alii tamen ab Arabico vocabulo *Elhabaſchi* (ſic enim Mauri Principem Abiſſinorum adpellant) vulgo factum opinantur Abaſſi, ac deinde Abaſſeni: quod denique commutatione vocalium in Abiſſinorum nomen evaſit.

Clauditur regnum ab Ortu Arabico ſinu & regionibus *Ajana* ac *Zangebara*; à Meridie *Monomotapa*; ab Occaſu *Congo* & *Medar* regnis; à Septemtrione *Nubia* & Ægypto. Longum eſt ab Ægypto ad *Monomotapa* uſque mill. IↃLXXX. Latum inter fauces Arabici ſinus & Nigrum fluvium mill. CCCCL.

Dividitur in compluria regna ſive provincias: quarum nomina ſunt, *Dafila*, *Barnagaſſo*, *Dangali*, *Dobas*, *Trigemahon*, *Ambiancantiva*, *Vangue*, *Bagamidri*, *Beleguanze*, *Angote*, *Balli*, *Fatigar*, *Olabi*, *Baru*, *Gemen*, *Fungi*, *Tirut*, *Eſabela*, *Malemba*. Vrbes in univerſo imperio paucæ ſunt: vicis plurimum habitatur, domibus ex creta & ſtramine conſtructis. Rex ipſe (qui albo eſſe colore fertur) ſub tentoriis degit, quorum ſex millia eum ſequuntur. *Amara* arx eſt munitiſſima, in monte *Amara* condita; in qua regis filii ſub validiſſimo præſidio educantur, donec patre defuncto heres producatur.

Cap. X.

Æthiopia Exterior sive Inferior; item Insulæ Africæ adjacentes.

Reliquum Africæ Æthiopia perhibetur exterior sive inferior; ab Oriente, Meridie & Occidente Oceano perfusa; à Septemtrione quasi duobus brachiis Abissinorum imperium hinc inde complectitur.

Regiones, in quas dividitur, sunt *Congi*, *Monomotapa*, *Zangibar* & *Ajan*. Pleraque maritimorum à Portugalensibus tenentur firmissimis munimentis ac præsidiis.

Congi Regnum.

Congi regnum (quod aliis *Manicongo*) Oceano Æthiopico perfusum, nomen habet à capite suo urbe *Congi*. Incolæ sunt Christiani. Terra ipsa fluminum aquis maxime rigua. Dividitur in provincias sex; quas illi *Mani*, id est, Præfecturas, vocant. Sunt autem *Bamba*, *Songo*, *Sundi*, *Pango*, *Batta* & *Pemba*. Regia est, civitas S. Salvatoris, quæ ante *Banza*.

Monomotapa Regnum.

Monomotapa vocabulum significat Imperatorem; unde ipsi terræ, cui hic imperat, nomen inditum. Solum est fertile atque amœ-

amœnum : amnes aurum, silvæ elephantos magna copia producunt:

Clauditur regnum ab Ortu, Meridie & Occasu Oceano; à Septemtrione regno *Congi*, Abissinorum imperio & regione *Zangibar*. Longitudo ejus est inter duo maria Rubrum Æthiopicumque juxta Lunæ montes milliar. German. cccc. Latitudo inter Nili fontes & promontorium Bonæ Spei mill. ccc.

Caput regni ac sedes regum est *Monomotapa*, ad flumen S. Spiritus. Hinc versus Septemtrionem mill. circiter L. distat nobile ædificium, amplum atque antiquum, quadra forma ex ingentibus saxis constructum.

Zangibar & Ajan.

Monomotapæ, qua Rubro mari perfunditur, continuatur *Zangibar* regio; cujus partes, *Cafares* populi, Monomotapæ proximi, & regna *Mozambike*, *Kiloa*, *Mombaza* ac *Melinde*, ab urbibus singulis denominata; quarum *Mozambike* in insula condita, celeberrimum est Europæis mercatoribus emporium. Sequitur versus Septemtrionem juxta litus maris Rubri *Ajan* regio, cujus partes duo regna *Del* & *Adea Magaduzzo*.

Insulæ ad Africam.

Insularum ad Africam terram maxima est in Rubro mari Menuthias Cerne Plinio dicta; nunc vulgo insula Divi Laurentii, & incolis *Madagascar*, id est, Lunæ insula, felici aromatum proventu dives, longitudine mill. German CCL, lat. LXXX occupans.

At in Atlantico Oceano contra Hesperium promontorium, quod nunc est *Cabo Verde*, Hesperides sunt insulæ duæ; ultraque Gorgades, Gorgonum quondam domus: nunc in universum *Islas de C. Verde* Hispanis dicuntur, hoc est insulæ promontorii Viridis. Contra Mauritaniam sunt Fortunatæ, VII numero, quarum una Canaria vocitata, à multitudine canum ingentis magnitudinis, ut auctor est Plinius. Vnde universæ Fortunatæ, nunc Canariæ dicuntur, Hispaniarum Regi subjectæ. Vltra versus Septemtrionem est Cerne, nunc *Madera* dicta.

Atque hæc est totius Africæ brevis descriptio.

CAP. XI.

Summa Americæ descriptio.

PErlustrato veteri terrarum Orbe, quæ prima erat continens, cupido nunc est atque cura, in Occidentem conversō navis cursu, novas


Septentrionalis Americæ pars
Meridionalis Americæ pars.
MARE AUSTRALE
Africa
Linea Æquinoctialis
Tropicus Cancri
Tropicus Capricorni
AMERICÆ
sive
INDIÆ OCCIDENTALIS
Tabula Generalis.

novas petere terras, novumque orbem, superioribus sæculis plane ignotum, cognoscere. Itaque ex Africa ab Nigri ostiis versus Occidentem brumalem mill. German. cccxxx profectis nova conspicitur terra, priori continenti magnitudine, si non anteferenda, certe æquiparanda. Eadem, si non continentes, sed utriusque insulas respicias, Europæ quam Africæ propior, mill. cc navigatione inter Hiberniam & Canadam intercedente.

Iam inde antiquissimis temporibus cognitam fuisse Europæis, ex Platone simul atque Diodoro Siculo probari potest. Apud Platonem in Timæo sacerdotes Ægyptii narrant Soloni Athenienſi, qui Ioc circiter annis ante natum Iesum vixit, insulam fuisse quondam contra fretum Herculeum Africa simul & Asia majorem, nomine Atlantidem. postmodum vero immani terræ motu, ingentique unius diei ac noctis illuvione, sub vasto gurgite mersam fuisse, ac inde mare, quod eam insulam ac fretum Gaditanum interjacebat, immeabile & inscrutabile redditum, limo paulatim impediente, quem insula subsidens præbuisset. Et Diodor. lib. v. tradit, Phœnices, vetustissimis inde temporibus, quum extra Columnas Herculis Africæ litora legerent, ingentibus ventorum procellis, ad longinquos in Oceano tractus fuisse abreptos; ac per multos dies vi tempestatis jacta-

tos, tandem ad Insulam perveniſſe ingentis magnitudinis, in alto Oceani pelago contra Africam in Occaſum verſus jacentem: cujus ſolum amœnum ac frugiferum, & amnibus navigabilibus irriguum, ſumtuoſiſque ædificiis inſtructum. Hæc ſane inſula ex ſitu ac magnitudine nulla alia eſſe poteſt, quam quæ nunc vulgo dicitur *America*: nec facile de ea neque Ægyptii Sacerdotes, neque Solon, qui librum de ea conſcripſit, teſte Strabone lib. 1. neque Diodorus, hoc confingere ſive ſomniare potuerunt, quæ revera ita eſſe nunc ſatis compertum habemus. Auctor autem libelli de Mundo, qui ab aliis Ariſtoteli, ab aliis Theophraſto adſcribitur, verſio vero ejus latina Apulejo, alias, præter hanc noſtram, quam Europæ, Africæ & Aſiæ nominibus diſtinximus, tradit eſſe inſulas magnas. antiquiſſimi illi mortales haud dubie intellexere Americam & Magellanicam. Carthaginienſes aditu illius inſulæ cæteros Europæos prohibuiſſe, ibidem tradit Diodorus. Quando & qua de cauſa Pœni eam navigationem intermiſerint, ita ut jam inde à Romanorum imperio ad ſuperius uſque ævum nihil de iis terris auditum vel adnotatum ſit, plane incertum eſt.

Dicta nunc eſt tota hæc continens America, ab Americo Veſputio Florentino, qui Emanuelis Portugalliæ Regis auſpiciis à Gadibus

dibus ann. cIↃ cccc xcvii profectus, primus ex Europæis (quantum memoria proditum) eam ingressus est. Quanquam hoc prior Christophorus Columbus Genuensis anno cIↃ cccc xcii insulas Americæ Hispaniolam, Cubam & Imaïcam adierit. Post hos frequentes in eam navigarunt Hispani, Galli, Angli: quorum alii aliis inibi regionibus detectis, nomina suâ quique linguâ imposuerunt. Mediterraneorum cognitio parum certa est; maxime quæ versus Septemtrionem. Maritimæ autem oræ Hispanorum armis maxima ex parte subactæ.

At eadem terra nonnullis India Occidentalis nuncupatur, quia eodem tempore, quo India Orientalis in Asia, hæc etiam detecta fuit; tum quod utriusque incolis similis ac pene eadem vivendi ratio: nudi quidpe utrique agunt. Includitur magno undique Oceano; ab Ortu Atlantico, qui vulgo *Mar del Nort* dicitur; à Meridie Magellanico freto, quo ab Australi terra dispescitur; ab Occasu Pacifico mari, vulgo *Mar del Zur*. A Septemtrione equidem litus Europæi nondum cognitum habent. at Concreto perfundi pelago necesse est; cum ab altera poli parte Asia atque Europa, primæ continentis, sive primæ magnæ insulæ partes, ei objaceant; quæ & ipsæ eodem mari alluuntur. Longitudo ejus summa inter duo freta, *Anian* &

Magellanicum, mill Cerm, cIↃcIↃ cccc. Latitudo maxima inter promontorium vulgo *C. de Fortuna*, juxta fretum *Anian*, & promontorium vulgo *C. de Breton* in Nova Francia, mill. clↃccc.

Dividitur universa in Septemtrionalem, quæ & Mexicana, & Meridionalem; quæ & Peruviana; exigua Isthmo alteram ab altera discernente.

Cap. XII.

America Septemtrionalis sive Mexicana.

America Septemtrionalis, quibusdam Mexicana appellatur, à principe totius urbe *Mexico*. Longitudo ejus est inter fretum *Anian* & Isthmum, quo Meridionalis ei annectitur, mill. cIↃIↃ Latitudo eadem quæ universæ.

Dimidia ejus pars versus Occidentem æstivum sita, introrsus plane incognita etiam nunc jacet; nec quidquam, præter litora, in ea detectum. Quin & totum Boreale universæ Americæ latus in quantum versus polum extendatur, prorsus latet.

Altera vero pars in regiones dividitur complures, quarum nomina sunt, Canada, Nova Francia, Virginia, Florida, Nova Hispania, Nova Granata, California; & in Occiden-

cidentali latere ad fretum *Anian* duo regna, *Quivira* & *Anian*, unde freto cognomen.

Canada.

Canada à fluvio cognomine dicta, insula an pars continentis, parum adhuc constat. Quantum ejus cognitum est, dividitur in Estotilandiam, Corterealem, Terram Laboratoris & insulas adjacentes, ingentis magnitudinis: quarum præcipuæ, *Golesme*, *Beauparis*, *Mont de Lions*, & Terra nova, eadem & *Terra de Baccalaos* dicta, ob ingentem hujusmodi piscium in ejus pelago multitudinem, qui etiam naves transeuntes retardent.

Solum Canadæ quamtumvis acerrimis frigoribus obnoxium, eximie tamen fertile, aurique metallis dives. Incolæ satis ingeniosi & artium mechanicarum peritissimi, pellibus amicti degunt: ceterum Galliarum regis imperio subjecti.

Nova Francia.

Nova Francia à Gallis, Regis Francisci primi auspiciis detecta, præter raras segetes & legumina quædam, omnium rerum inops, à feris ac quibusdam in locis anthropophagis, in universum idololatricis gentibus incolitur. Pars tamen ejus, quæ ad mare accedit, *Norumbega* ab urbe cognomine dicta, cœlo potitur salubri soloque fœcundo.

Virginia.

Novæ Franciæ jungitur Virginia ; quæ à vico maritimo ejusdem vocabuli ; vel, ut alii à Rege *Viguina* ; vel à Regina Angliæ Elisabetha, cujus auspiciis detecta, nomen accepit, ante *Apalchem* vocitata. Terra sterilis atque maligne culta : litus importuosum. Opidum est *Medano.*

CAP. XIII.

Florida, Nova Granata, California, Nova Hispania.

FLorida inter Virginiam & Novam Hispaniam porrecta, nomen habet à Dominica Palmarum, quæ Hispanis *Pasqua de Flores* dicitur. Hoc quidpe die Portugallis detecta. Solo gaudet amœno ac feraci. At incolæ sunt barbari, sordidi, supraque humanum modum feri ; vermibus, serpentibus alioque venenatorum animalium atque insectorum genere vescentes. Quare Hispani pariter atque Galli regionem hanc occupare sæpenumero nequidquam tentarunt. tandem Hispanis cessit.

Nova Granata.

Caput hujus provinciæ est *Granata* opidum, unde ei nomen. Incolæ & corpore, & animo

animo reliquis Americanis candidiores justioresque.

California.

California, quæ inter sinum cognominem (quem Hispani *Mar Varmeio*, id est, mare Rubrum vocant) & mare Pacificum ceu peninsula excurrens, solo est arido, sterili atque deserto.

Nova Hispania.

Novissima Septemtrionalis Americæ & Meridionali contermina est Nova Hispania, omnium amplissima longeque cultissima. Cœlum habet, quamvis sub torrida Zona, clemens ac temperatum; solum auri, argenti, æris atque ferri metallis scatens, omnique animalium genere abundans, mare utrimque piscibus & ostreis margaritiferis refertum. Regiones, in quas dividitur, præcipuæ sunt istæ: *Nova Galitia, Mechoacan, Mexicana, Iucatan, Guatimala, & Nicaragua.*

In Nova Galitia, coloniæ ab Hispanis deductæ sunt *Compostella*, *S. Spiritus*, *Conceptio*, *S. Michaël*, *Guadalajara*, *Culiacan.*

In *Mechoacan* caput regionis est opidum *Mechoacan.* Coloniæ Hispanorum *Pascuar* & *Valliadolid*, egregia emporia; hoc etiam Episcopatu insigne.

Mexicanæ regionis caput est *Mexico* omnium Americanarum princeps; olim in medio lacus ingentis Venetiarum instar palis superstructa: postea ab Hispanis ad ripam ejusdem lacus translata satis culte nunc habitatur, ambitu sesqui mill. German. Sedes est Proregis quem Rex Hispaniarum mittit: item & Archiepiscopi. Imprimuntur heic libri, cuditurque moneta. Secunda ab hac est *Tescuro*, amplitudine Mexicum exæquans, dein tertia Anglorum civitas, lanificio maxime nobilis. Cæterum mons est in Mexicana regione ignibus perpetuis insignis.

Iucatan Chersonesus agro feraciſſimo incolas fert omnium bellicosissimos.

Guatimalæ caput est *Guatimala*, juridico conventu perpetuique præsidis præsentia celebris.

In *Nicaragua* opida sunt *Granata & Leon.*

Cap. XIV.

America Meridionalis sive Peruviana.

AMericæ Septemtrionali xx circiter milliarium Germ. Isthmo annectitur America Meridionalis, quibusdam Peruviana dicta, à Provincia *Peru*, omnium præstantissima. Ipsa ingens peninsula Africaque paullo minor, forma triquetra in tria panditur amplissima

plissima latera. Cuneorum unus Septemtrionalem spectat Americam, alter Africam, tertius Magellanicam. Longitudo ejus patet Semptemtrionem inter, & Meridiem, mill. Germ. cIↃ. Latitudo summa inter Occasum Ortumque IↃccc. Regiones quibus distinguitur sunt hæ: *Castella aurea, Bogota, Peruvia, Chili, Chica, Brasilia, Caribana, Gujana, Biquiri*, omnes Oceano perfusæ. Intus vero in Mediterraneis, Amazonum regio, *Paguan, Picora, Moxos, Vram, Charchas.* Fluviorum duo nobilissimi, *Maragnon*, qui & *Orelliana* & Amazonicus: & alter Argenteus, vulgo Hispanis *Rio de Plata.*

Castella Aurea.

Castella aurea, vulgo Hispanis *Castilla del oro*, aspera atque inculta regio cœloque gravi, auri metallis abundat; unde & nomen. Opida insigniora in ipso Isthmo habet duo, diversis litoribus appositа; quorum unum vulgo *Nombre de Dios*, id est, Nomen Dei, mare spectat vulgo dictum *del Nort*; alteram *Panama*, mare Pacificum.

Peruvia.

Peruvia regio, vulgo *Peru*, omnium novi Orbis auri argentique metallis nobilissima, nomen accepit à flumine *Peru* mediam secante. Clauditur ab Oriente montium per-

petuis jugis, à Meridie *Chili* regione, ab Occidente mari Pacifico, à Septemtrione *Bogota* regione. Occupat longitudine inter Septemtrionem & Auſtrum milliar. CCCLXX. Latitudine inter Occidentem & Orientem CLXX. Dividitur in Maritimam & Montanam.

Maritimæ opida clara ſunt *Lima*, ſedes Proregis & Archiepiſcopi, cui ſubſunt Epiſcopi XV; & *Camana*. Montanæ inſignia opida ſunt *Cuſco*, totius Provinciæ princeps, & *Quito*. *Potoſi* auri metallis opulentiſſimum.

Chili.

Sequitur regio Chili, amplitudine Peruviam fere exæquans. Caput eſt opidum S. Iacobi.

Chica.

Chili regioni continuatur *Chica* regio, freto Magellanico affixa. In hac Patagonum gens eſt ſtupendæ proceritatis, novem & ſummum decem pedum menſuram implens. Ex his quidam, Magellane (is primus in has oras delatus) inſpectante, ſeſquicubitales ſagittas citra nauſeam per guttur ad ſtomachi fundum egere; hoc ſcilicet argumento corporis robur oſtentantes.

Bra-

Brasilia.

Brasilia vasta regio, ut quæ quartam Meridionalis Americæ partem obtinet, saccari singulari atque ubere proventu maxime nobilis est. Præcipuum opidum est Portus omnium sanctorum, præfecti totius provinciæ sedes. Portus autem celeberrimus est opidum *Pernambuco*; intus opida *Assumtio* & *Paraguate*.

Reliquæ regiones introrsus aut non cognitæ, aut obscuræ sunt; nullis ibi locis memoratu dignis.

CAP. XV.

De Insulis novi Orbis.

INsularum, quæ Americæ ab Oriente objacent, ingens est numerus. At harum nobiliores *Hispaniola*, & *Cuba* & *Imaica*.

Priores duæ ejusdem esse videntur magnitudinis, nisi quod hæc longior, illa latior. Occupat *Cuba* longitudine mill. CXC. latit. XXX. *Hispaniola* long. CXL. lat. LIV. Opida in utraque compluria. Caput Hispaniolæ S. Dominicus: Cubæ S. Iacob; in hac est *Havana* celeberrimus Americæ totius portus.

Iamaica, quæ Europæis S. Iacobi dicitur insula, implet longitudine L. mill. lat. XX. Caput est *Sivilla*. Secunda ab hac est *Oristan*.

Atque

Atque hæc est brevis Americæ universæ explicatio.

CAP. XVI.

Magellanica.

PORro peractis duabus prioribus continentibus, restabat uti tertiam universi terrarum Orbis partem aggrederemur, illis amplitudine forsitan haud inferiorem. Verum cum etiam nunc nobis incognita jaceat, nec constet, continens una, an plures in insulas dissecta sit; nihil habemus in præsens, quod de ea huc referamus; nisi nominis brevem expositionem. Dicitur Terra Australis, quia nobis ultima in Austrum versus sita est. Eadem Terra incognita, quia nemo ingressus. Denique Magellanica, quia Magellani primum conspecta.

BRE-

BREVIARIVM TOTIVS ORBIS TERRARVM

Vna cum serie Romanorum Imperatorum.

AVTORE

PETRO. BERTIO.

BREVIARIVM TOTIVS ORBIS TERRARVM.

ORBIS universus etsi nondum percognitus, nunquam tamen æque lustratus fuit, atque nunc est. Veteres enim Geographi Græci, Latinique, & qui ab iis situm Orbis didicere, Poëtæ, Oratores, Historici, eas tantum Terras descripsere, quas norant, quasque judicabant esse habitabiles. Nos, multorum sæculorum ac plurimorum hominum experientia edocti, multa ipsis profitemur incognita: & quas illi Orbis regiones crediderunt vel ob æstum, vel ob frigora desertas, eas nos multis locis incoli scimus. Partes ejus alii pauciores, ego sex pono: Arcticam, Antarcticam, Europam, Africam, Asiam, & Americam.

I. AD ARCTOAM pertinent 1. Regio Subpolaris incognita. 2. Groenlandia. 3. Spitsbergia sive *Nieuland*. 4. Islandia, quæ nunc subjecta est Daniæ & Norvegiæ Regi. 5. Nova Zembla, cum Mari Hyperboreo,

reo, & fretis duobus, Waygaz, & Davis, quorum illud est Orientalius, hoc magis in Occasum vergit. Illo Batavi, hoc Angli fretum Anian adsequi, & in Indiam penetrare, nostra memoria, quamvis irrito hactenus conatu, aggressi sunt. Nec desunt qui fretum Anian omnino esse negent, terrasque Asiæ & Americæ dicant esse continuas, quos, quia experientiæ testimonio refutare non possumus, in medio relinquemus: illud contenti monuisse Groenlandiam, quæ ad gradum LXXX. latitudinis accedit, gramina gignere herbasque virentes, à quibus & nomen accepit, quum Nova Zemla, quæ quatuor gradibus est Australior, tota nuda sit & impascua, fœtaque animalibus carnivoris.

II. AD ANTARCTICAM referendæ sunt vastæ illæ regiones, quæ Polo Australi subjectæ, longe lateque inde extenduntur per tres Zonas, Frigidam, Temperatam, & Torridam: commendabiles non tantum prædicatione Petri Ferdinandi de Quir Hispani, qui tractum illum magna parte ipse lustravit: sed etiam cœli solique constitutione, terrarumque amplitudine; æquant enim Europam & Africam simul sumtas.

III. EVROPA multo quam Africa aut Asia contractior, jam inde à Macedonibus & Romanis sedes Imperii fuit; post Christum vero

vero natum, domicilium quoque Orthodoxæ Fidei. Patet ab Austro in Boream ad CCXXV leucas majores. A freto autem Gaditano ad Tanaim, hoc est, ab Occasu in Ortum DCCL. Circumscribitur Oceano Septemtrionali, Atlantico, Mari Mediterraneo, Hellesponto, Propontide, Bosphoro, Thracio, Ponto Euxino, Bosphoro Cimmerio, Mæotide, Tanai, & linea quæ à Tanais flexu porrigitur ad ostium fluminis Obii. In ea hodie dominantur varii. Insulas Britannicas regit Carolus, filius Iacobi Stuarti, qui primus Scotiæ regnum Angliæ regno junxit. Hispaniam tenet Pilippus IV, Philippi III filius, Philippi II nepos, Caroli V. Imperatoris abnepos. Gallia subjecta est Christianissimo nostro Regi Ludovico XIII, Henrici Magni filio. Germania Imperatorem habet Ferdinandum Austriacum, cui uxor Eleonora Mantuana. Norvegia & Dania subjectæ sunt Christiano IV Frederici F. Sueciam habet Gustavus Caroli F. qui pulso ob religionem Catholicam Sigismundo, Rege ac nepote suo, Ioannis Regis filio, ipse regnum invasit, & filio suo Gustavo reliquit. Poloniæ & Lithuaniæ præest Sigismundus, quem Sueciæ regno à Carolo patruo exutum diximus. Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, & Sclavonia Imperatori subsunt. Græciam, Thraciam, Bulgariam tenet

net Turcarum Imperator, qui nunc est Sultan Amurath: Viciniores Asiæ partes habent Russus & Tattarus.

RELIGIO per Europam alibi Catholica est, alibi Hæretica & Apostatica. Catholicæ Ecclesiæ caput est Romæ, successor B. Petri, Vrbanus VIII. pietatis & eruditionis decus, cujus inter primas laudes merito ponendum est, quod litteris amorem studiumque Francorum conjunxit, sicut de Vrbano III loquitur Froissardus. Catholici cum eo sunt, ejusque ut veri pastoris vocem agnoscunt, in Gallia, Rex noster Christianissimus, Filius Ecclesiæ primogenitus, quem idcirco primo loco commemoro. In Germania; Ferdinandus Imperator; in Hispania, Philippus Rex, qui etiam in cæteris suis ditionibus nullam Religionem præter Catholicam admittit. Sunt præterea Catholici omnes Italiæ Principes; adhæc, Duces Sabaudiæ, Lotharingiæ, Bavariæ, & Electores Imperii Ecclesiastici.

In Magna Britannia viget adhuc Calvini secta, non quidem ad Puritanorum formulam, sive eorum qui cum doctrina ritus quoque Ecclesiæ damnant: sed ad normam eorum qui fidem habent Geneuensium, ritus Catholicorum: multum tamen sibi de præclara Regis *Caroli* indole pollicentur omnes boni: augetque ipsorum spem conjugium cum

cum sorore Christianissimi Regis nostri, bonis avibus nuper contractum: sperant enim voventque, & matris, & aviæ, summarum Heroinarum, & uxoris divinis virtutibus, fideique singularis exemplo, ipsum quoque Regem ab infami errore per Christi gratiam in viam veritatis & vitæ revocandum esse, cum summa sua gloria, egregio Regni sui firmamento, & gaudio totius Ecclesiæ: deprehensum est enim ipsum haud ita pridem benignius Catholicos habere cœpisse. Sed nostra hæc vota sunt. In Scotia plerique adhuc ad Puritanos magis accedunt. In Hibernia, si vim adimas & minas, omnes Catholici sunt. In Dania, Suecia, Norvegia, Lutherani sunt: sed serpit clanculum virus Calvinisticum. In Polonia & Lithuania Rex & plerique Proceres cum Clero & infinita manu nobilium, aliorumque civium & rusticorum turba, sunt Catholici; cæteræ religiones, ut sunt, Lutherana, Calvinistica, Ariana, Samosateniana, Anabaptistica, tolerantur & exercentur palam, ne ipsa quidem Iudaica excepta. Bohemia habet Catholicos, sed etiam Hussitas, Valdenses sive Picardos, Lutheranos, Calvinistas, Iudæos. Moravia præterea etiam Anabaptistas, quos superioribus annis Imperator Ecclesiæ militans subvertit. In Belgica, sive inferiore Germania; Provinciæ quæ Hispanorum Regi parent, sunt

sunt omnes Catholicæ; quæ vero ab ipso secesserunt, delato ad Ordinum statum jure majestatis, mutarunt quoque publice religionem, eamque evexerunt, quæ à Catholica quam longissime recedit. Viget ergo illic, pro hoc tempore Calvinismus, & quidem ad formulam Gomaristarum, damnatis nuper in Dordrechtano conciliabulo Arminianis, quorum ministri etiam oppressi, &, vel finibus ejecti, vel in carceres conclusi sunt. Catholici tamen, Lutherani, Anabaptistæ, Ariani, Samosateniani, Bruniſtæ, ipsique adeo Iudæi, sub specie libertatis tolerantur; sed minus omnibus Catholici. Verentur enim, ne, si sublato religionis dissidio priscam illam & Catholicam publice evehant, paullatim videantur ad Hispaniarum Regem, cum quo implacabile odium exercere cupiunt, accedere. In Helvetia Pagi quidam sunt Catholici, ut Lucernensis, Tugiensis, Suitensis, Vndervvaltensis, Solodurensis, Friburgensis, Vriensis; quidam Calviniſtici, ut Tigurinus, Bernensis, Basileensis. Habent autem hoc proprium Calviniſtæ, ut statum, in quem irrepserunt, evertant, neque ante conquiescant, quam ipsi rerum potiantur. Irrisores, turbulenti, factiosi, disputaces, ingrati, arrogantes supra quam dici aut credi potest, hostes Catholicorum juratissimi, quique non tantum ipsi nihil conferunt ad repellen-

pellendam imminentem Christianorum cervicibus Turcarum vim; sed etiam motis intestinis dissidiis, bellisque impediunt alios Reges id conantes, quin & opes viresque ipsorum à communi hoste aversas in mutuam Christianorum perniciem concitant. Atque hoc ipsis est reformare Ecclesiam. In Turcia sunt Mahumetani & Græci Schismatici; quidam tamen etiam Catholici. In Russia Græci, Armenii, & Pagani.

OPES Principum ex annuo ipsorum proventu æstimantur. Francorum Rex xxx. milliones auri creditur excedere. Hispaniarum Rex ex omnibus suis ditionibus non colligit ultra x1x milliones. Rex Magnæ Britanniæ, quatuor: Poloniæ, tres: tantumdem Venetiarum Dux. Pontifex unum cum dimidio Hetruscus duos, Sabaudus unum. Lotharingus dimidium ejus. Rex Daniæ cc millia coronatorum; Sueciæ tantumdem. In Germania Imperium confert suo Imperatori sex milliones auri: Valet autem millio decies centena millia coronatorum.

LINGVÆ per Europam præcipuæ sunt tres: Romanismus apud Italos, Gallos, Hispanos, Teutonismus apud Helvetios, Germanos, Bavaros, Suecos, Norvegos, Danos. Anglos, & plerosque Belgas. Sclavonismus in Slavonia, Polonia, Bohemia, Hungaria. Habent autem singulæ regiones in sua lingua

diversas iterum dialectos. In quibusdam vero locis linguæ audiuntur quarum nullum est cum cæteris commercium, ut in Britannia, Armorica, Navarra, &c.

INSVLÆ BRITANNICÆ sunt plures. Minores quidem Orcades XXX, & Hebrides XXIV. Majores vero duæ, Hibernia, & Albion, sive Magna Britannia: juxta quas sitæ sunt insulæ, Mon *Anglesey*, Vectis, & Gallico littori appositæ, *Iersey*, & *Gernesey*; in quibus vocibus ultima syllaba *ey* insulam significat.

HIBERNIA, *La Irlande*, veterum Scotia est; Lacum præcipuum habet Ernensem, cui vicinum est Purgatorium Patritii. Fluvii sunt plures, quorum quidem maximus Sannovius; nobilitatur tamen præ cæteris Avenlifius, ob Dublinum urbem Regiam & Archiepiscopalem; cujusmodi etiam sunt Armachia, Cassilia, & Toam. Hi quatuor Archiepiscopatus habent sibi subjectas sedes XXIX suffraganeas.

MAGNA BRITANNIA cujus situm Ptolemæus infeliciter descripsit, dividitur in Scotiam, quæ Boream respicit; Angliam, quæ Austrum; & Walliam, quæ Occasum. SCOTIA, *l'Ecosse* amnes habet Tinam, Escam, Lethum: Montem Grampium: Silvam, Caledoniam: Lacum Nessum: Vrbem Regiam Edenburgum: Scho-

las

las Andreapolim & Alberdoniam. Promontorium Boreale Orcas, *Dungis lehead.*

ANGLIA, *l'Angleterre*, nomen traxit ab Anglis Saxonibus: fluvios famosos habet Tamesin, & Sabrinam, quarum illa Londinium alluit; *Londres*, urbem Regiam: hæc Gloceſtriam. Promontoria ſunt, Cantium, *Kent*: & Nerium, *Cornuaille*. Archiepiſcopi duo, Cantuarienſis, *Canterbury*, & Eboracenſis *Yorck*. Ille eſt Primas regni, habetque ſuffraganeos XXII. Hic tres duntaxat. CAMBRIA ſive Wallia verſus Occaſum porrigitur ad mare Hibernicum, ab eaque Primogeniti Regum dicuntur Principes Walliæ. Portus verſus Orientem eſt Dubris, *Doure*, ex adverſo Caliſii: verſus Occaſum eſt *Pleymuth*: ſunt & alii paſſim portus Santvvyck, Graveſand, Colceſter: Merces Britannicæ ſunt, Stannum, Lana, pannus, cerviſia; nam aurum argentumve exportare fas non eſt. Lupos vero inſula tota non habet.

HISPANIAM, quæ avorum noſtrorum memoria cœpit foris inclareſcere, quum antea vix ipſa ſibi adverſus incurſiones Pœnorum, Romanorum, Gothorum, Vandalorum, Saracenorum ſufficeret, Romani in Citeriorem & Vlteriorem diviſere; quarum illa Tarraconenſis dicta fuit; hæc habuit Bæticam & Luſitaniam. Illam à Vandalis vocamus hodie Andaluſiam; hanc à portu Calæ Portugal-

liam Montes Pyrenæi Hiſpaniam ſeparant à Gallia: cætera ambit mare. Ad fauces freti Gaditani (quod nos vocamus *l'Eſtroit de Gibralter*) eſt Calpe mons, quem Saraceni vocant *Gibal Tarif*, quaſi dicas, montem Tarifi; reſpondetque ei in Africa Abyle mons, quem nunc vocant *Ceutam*. Montes iſtos dixerunt antiqui Columnas eſſe Herculis, à quo & fretum ipſum perfoſſum crediderunt. Flumina quæ in mare Ibericum exonerantur, ſunt, Tholobis, *Tarderat*; Rubricatus, *Lobregat*; Iberus, *Hebro*; Durias, *Guadaluiar*; Sucro, *Xucar*: Terebus, *Segura*; Tader, *Guadalentin*. Nam in Oceanum influunt Bætis; *Guadalquivir*; Anas, *Guadiana*; qui medio curſu mergitur, ac poſt decem leucas iterum erumpit: Tagus, *Tajo*: Munda, *Mondego*: Durius, *Duero*: Minius, *Mingo*: Regna Hiſpaniæ diviſa olim inter plures fuere; ac tunc quidem nemo erat illorum, qui non Franeorum Regibus libenter adſurgeret, inque adverſis rebus ipſorum ſalutarem opem imploraret: nunc omnibus illis regnis ad unum caput reductis, auctaque aliunde potentia, crevit cum fortuna animus, eoque tandem devenit, ut plura adhuc adpetat. Regna hæc ſunt, *Granata*, cujus urbs primaria à Saracenis condita, idem nomen habet. *Andaluſia*, in qua eminent Hiſpalis, *Seuille*, Nebriſſa, Corduba, & *Iaën*. *Eſtramadura*,

dura, in qua Pax Iulia, *Badaios*; Augusta Emerita, *Merida*, ad Anam utraque. *Murcia*, in qua Carthago nova, *Cartagena*. *Valentia*, in qua urbes, Valentia, & Ilice, *Alicante*. *Catalonia*, in qua Dertosa, Barcino, Tarraco, Emporiæ. *Arragonia*, in qua Cæsar augusta, *Saragossa*: Ilerda, *Lerida*, Orgelis, *Vrgel*: Osca, *Huesca*. *Guipiscoa*, in qua Tolosa & Flaviobriga, *Fuentaravie*. *Biscaja*, in qua Flavionavia, *Bilbao*. *Asturia*, in qua Oviëdum: *Galecia*, in qua Compostella, *S. Iago*. *Legio*, quæ urbem habet ejusdem nominis. *Castella nova* in qua Toletum & Madridum. *Castella vetus*, in qua Salmantica & Valedolit. His accessere *Navarra* pars in qua Pampelo, *Pampeluna*; & *Portugallia*, in qua Vrbes: Olisippo, *Lisbone*, ad Tagum flumen; Conimbriga, *Coymbre*; Ebora, *Evora*. *Algarbia*, in qua *Silvis*, & *Tavila*. Insulæ vicinæ Hispaniis sunt, in Oceano quidem *Gades*, *Cadiz*: in Mediterraneo vero, Gymnesiæ sive Baleares, *Majorica*, & *Minorica*, cum *Ebysso* quæ nunc *Yvica* dicitur; minores volens prætereo.

Titulus Regis sic fere concipitur: *Philippus* Dei gratia Rex Castellæ, Legionis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Portugaliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Majoricæ & Minoricæ, Hi-

ſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Iaen, Algarbiæ, Algeriæ, Gibraltar, Inſularum Canariæ, Indiarum Orientalis & Occidentalis, Inſularum & continentis Oceani: Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ, Mediolani, &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tirolis', Barcelonæ, Artheſiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, Zutphaniæ, &c. Marchio Imperii, Dominus Biſcajæ, Friſiæ, Mechliniæ, Trajecti, Tranſiſalaniæ, Groningæ: Dominator in Aſia & Africa.

GALLIA, *la Gaule*, quæ & ante Romanos belli gloria per Orbem claruit, & ſub Romanis perdiu habuit Imperii ſedem Auguſtæ Trevirorum, Pyrenæis, Oceano, Rheno, Alpibus, & mari Mediterraneo clauditur. Hæc à Romanis initio tributa fuit in Citeriorem & Vlteriorem: illius pars Ciſalpina ſive Italica, ab habitu gentis vocata fuit Togata: Tranſalpinæ vero pars vicinior dicta fuit Provincia Narbonenſis fuitque Braccata; Reliquam omnem Galliam quæ Comata adpellabatur, diviſit Cæſar in parteis treis, Aquitanicam, Celticam, quæ poſtea Lugdunenſis vocata eſt, & Belgicam: nam Provinciam Narbonenſem, quæ jam tunc Romanis parebat, non accenſuit ille Galliæ à ſe vincendæ. *Franci* partem illam quæ ipſorum armis ſubacta fuit,

fuit, adpellavere *Franciam* occidentalem: ad discrimen scilicet Franciæ orientalis, quæ est in Germania. Itaque Aquitania initio Francia non fuit. Burgundia Sequanica, *la Franche Conté*, nunc non est Francia. Hodie enim Franciam vocamus, eam omnem Galliam, quæ Regi nostro subjecta est. Et quia de veteri illa ditione partes Rheno, Scaldi, Mosæ, ac Mosellæ vicinæ jam pridem abrasæ sunt; facile est videre quantum imminutum sit Francorum prædium. Eam ergo hodie ab Italia separat adhuc antiquus limes: à Sabaudia Rhodanus; Araris à Burgundia; Mosella à Lotharingia, & Ducatu Luxemburgensi; *Aa* rivulus à Flandria. Amnium alii in Mediterraneum influunt, ut Varus, *le Var*. Argenteus, *Argent*. Rhodanus, *le Rosne*. Ledus, *le Lez*. Arauraris, *Erhault*. Obris, *l'Orbe*. Atax, *l'Aude*; è quibus Rhodanus recipit ripa dextera Ararim *la Saone*, Eriduam, *l'Erieu*, Atdescham & Vardonem, *le Guard*: sinistra Isaram, *l'Iser*; & Druentiam, *la Durance*. Arar excipit Loignionem & Dubim *le Doux*. In Oceanum vero se exonerant, Atyrus, *l'Adour*; Garumna, *la Garone*; Carantonus, *la Charente*; Altisio, *l'Autye*; Semaigna, Ligeris, *le Loire*; Orna, *l'Orne*; Sequana, *la Seine*; Somona; *la Somme*; Scaldis, *l'Escault*; Rhenus, *le Ryn*. Atyrus duos Gavos recipit ex Pyrenæis de-

volutos. In Garumnam influunt læva quidem Savus, Gimovus, Ægircius, *le Gers*, & Baliſa. Dextera vero, Tarnis, *le Tar*; Oldus *Lot*; Duranus, *la Dordoigne*. In Ligerim, Elaver, *l'Alier*; Vigenna, *la Vienne*, Anger, *l'Indre*; Caris, *le Cher*; Maduana, *le Meyne*, qui recipit Sartram, Huïnam, & Ledum *le Loir*. In Sequanam, Matrona, *le Marne*; Icauna, *Ionne*; Alba, *l'Aube*; Æſia, *l'Oiſe*. In Æſiam, Axona, *l'Aſine*, qui recipit Baſilam, *le Veſle*. In Scaldim Legia, *Lys*. Scarpa, *l'Eſcharpe*, Dendra, & Demera. In Rhenum, Moſa & Moſella. Poſtremum, plures habet ſola Gallia fluvios opportunos, & fluminibus impoſitos pontes, quam reliqua omnis Europa. *Montes* Galliæ præcipui ſunt Pyrenæi, Alpes, Gebennæ, Vogeſus, Iura: Alpium aliæ ſunt Maritimæ, aliæ Grajæ & Cottiæ, aliæ Penninæ, quæ à Penno Deo nomen habent. Herculem Grajis, Annibalem Cottiis in Italiam veniſſe conſtat. Fuit autem Francorum Regibus id ſemper curæ, ut per Alpes plures ipſis aditus paterent in Italiam. *Lacuum* maximus eſt Lemanus. Diviſiones alias Galliæ, quæ ſub Romanis, Gothis, Franciſque primæ, ſecundæ ac tertiæ ſtirpi, fuere, nunc omitto, contentus præſentia referre. *Francia* igitur, ſi eam ſeorſim à partibus iis quæ abraſæ ſunt, ſpectes, variè dividi poteſt, per Diœceſes, per Parlamenta, per

per Provincias, per Censum. Harum primæ, non tantum quia vetustissima est, sed etiam quia maximè proportionata, minimèque obnoxia mutationibus, nec nunc insistemus. Sub Imperio igitur Christianissimi Regis nostri sunt. 1. Diœcesis Lugdunensis, ad Rhodani & Araris confluentes, cujus Præsul vocatur Cleri Gallicani Primas. 2. Rothomagensis ad Sequanam, in Normannia, quæ est Lugdunensis secunda. 3. Turonensis, ad Ligerim quæ est caput Britanniæ, in Lugdunensi tertia. 4. Senonensis ad Icaunam, habet in se Lugdunensem quartam, à qua resecta est, & in Metropolim erecta, Lutetia Parisiorum. 5. Treverensis ad Mosellam suffraganei sunt in Francia, Metensis, Tullensis, Verdunensis, omnes in Belgica I. Ipse autem est Elector Germanus. 6. Vesontinus ad Dubim extra Franciam est: ejus suffraganeus tamen Bellicensis paret nostro Regi, in Lugdunensi quinta. 7. Rhemensis, Dux & Par Franciæ, est in Belgica secunda, ad Basilam flum. 8. Viennensis prima est ad urbem ejus nominis adsitam Rhodano. 9. Ad Narbonam quæ Ataci prætexitur, est pars una secundæ Viennensis. 10. ad Tolosam, quæ Garumnæ est appositа, pars altera. 11. ad Aquas Sextias, *Aix en Provence*, pars una tertiæ Viennensis. 12. ad Arelaten, *Arles*, pars altera. 13. Ebrodunensis, *Embrun*, est quartæ Viën-

nensis. 14. Biturica, *Bourges*, Aquitaniæ primæ, diciturque ejus Præsul utriusque Aquitaniæ primas. 15. Burdegala, *Bordeaux*, Aquitaniæ secundæ, ad Garumnam. 16. Auscii, Aquitaniæ III ad Ægircium flumen. 15. Avenio cessit Pontifici.

Nec fuerit abs re, breviter hoc loco ostendere, quænam in Gallia civitates Episcopales quibus Metropolibus subjectæ sint. Habet ergo *Lugdunensis* Archiepiscopus suffraganeos IV. Eduensem sive Augustodunensem; *Autun*; Lingonensem, Ducem & Parem Franciæ, *Langres*; Cabillonensem ad Ararim, *Chaalons sur saosne*; Matisconensem, *Mascon. Rotomagensis*, sex, Baiocassinum, *Baieux*; Abrincatensem, *Auranche*; Ebroicensem *Eurex*; Sagiensem, *Seez*; Lexoviensem, *Lizieux*; Constantinum, *Constances. Turonensis* IX. Cænomanensem, *Mans*, ad Sartram amnem; Redonensem, *Renes*; Andegavensem, *Angers* ad Meduanam; Nannetensem, *Nantes*, ad Ligerim. Corisopitensem, *Cornaille* Venetensem, *Vannes*; Briocensem. *S. Brieu*; Macloviensem, *S. Malo*; Leonensem, *S. Paul de Leon*; Tricoriensem, *Triguier*, & Dolensem, *Dol*, qui quondam Archiepiscopi titulum ac dignitatem gessit. *Senonensis* tres, Autissiodorensem, *Auxerre*, ad Icaunam; Trecassinum, *Troyes en Champaigne*, ad Sequanam. Nivernensem, *Nevers*. nam,

PARI-

PARISIENSIS cum subjectis Carnutensi, *Cartres*; Aurelianensi, *Orleans*; & Meldensi, *Meaulx*, à Senonensi resectæ sunt, anno MDCXXIII. *De Trevirensi* ejusque tribus suffraganeis, deque *Vesontino*, jam dixi. *Rhemensis* suffraganei sunt octo, Suessionensis, *Soissons*, Catalaunensis ad Matronam, Comes & Par, *Chaalons sur Marne*; Laudunensis, Dux & Par Franciæ, *Laon*. Silvanectensis, *Seulis* Bellovacensis, Comes & Par Franciæ, *Beauvais*: Ambianensis, *Amiens*, Novomensis. Comes & Par, *Noyon*; Bononiensis in Pago Gessoriaco, *Bouloigne sur mer*: nam Morinensis sive Tervavensis, *Tervanne*, itemque, Cameracensis, *Cambray*, Atrebatensis, *Arras*, & Tornacensis, *Tournay*, jam inde ab anno MDXXV, translato ad Burgundum jure omni Politico, Ecclesiasticam quoque subjectionem Rhemensi averterunt. *Viennensis* Metropolis habet sibi subjectos Episcopos, Genevensium, *Geneve*, cujus sedes ob civium hæresi infectorum rebellionem translata est Anicium, Sabaudiæ opidum, *Anicy*; Gratianoplitanum, *Grenobele*, ad Isaram: hanc autem urbem vocat Cicero in Epistolis Cularonem; Albensem sive Vivariensem, *Vivieres*; Diensem, *Die*; Valentinentem, *Valence*, ad Rhodanum; Maurianensem, *S. Iean de Morienne*. *Narbonensis* habet suffraganeos novem, Biterrensem,

Beziëres; Agathenſem, *Agdo*; Carcaſſonenſem, *Carcaſſonne*; Nemauſenſem, *Niſmes*; Lutevenſem, *Lodeſve*; Monſpeſſulanum, *Montpellier*, qui olim fuit Magelonæ, in ſtagnis Volcarum, S. Pontii Tomeriarum, S. *Pont. de Tomiere*; Alectenſem, *Alet*; & Vcetenſem, *Vſez*. *Toloſanus* habet ſeptem; Apamienſem, *Pamieres*; Mirapicenſem, *Mirepoix*; Montis Albani, *Montauban*; Vaurenſem, *Vaur au pays de Laurageois*; Lombarienſem, *Lombez*; S. Papuli, S. *Papoul* & Rivenſem, *Rieux*. *Aquiſextienſis* habet quinque: Aptenſem, *Apt*; Reienſem, *Ries*; Forojulienſem, *Freiuls*; Vapincenſem, *Gap*; Ciſtaricenſem, *Seſteron*. *Arelatenſis* præeſt quatuor ſuffraganeis, Maſſilienſi, *Marſeille*; Tricaſtino, *S. Paul de Tricaſtin*; Telonenſi, *Tolon*, & Arauſionenſi, *Oranges*. *Ebrodunenſi* ſubjecti ſunt ſex, Dinienſis, *Digne*; Graſſenſis, *Graſſe*; cujus olim ſedes fuit Antipoli, *Antiboul*; Vencienſis, *Vences*; Glandatennenſis, *Glandeves*; Senetenſis, *Sanes*; & Nicenſis, *Nice Bituricenſis* habet ſuffraganeos, undecim; Claromontenſem, *Clairmont en Auvergne*. S. Flori, S. *Flour*; Ruthenenſem, *Rodez*: Vabrenſem, *Vabres*; Caduenſem, *Cahors*; Lemovicenſem, *Limoges*; Tutelenſem, *Tulles*: Mimatenſem, *Mande*: Albienſem, *Alby*: Caſtrenſem, *Caſtres*: & Anicienſem, *Puyen Velay*. *Burdegalenſis* Archie-

Archiepiscopi suffraganei sunt novem: Aginnensis, *Agen*: Enculismensis, *Angoulesme*; Santonicus, *Saintes*; Pictaviensis, *Poictiers*; Petrocoriensis, *Perigeux*: Condomensis, *Condon*: Maleacensis, *Malezais*: Luxionensis, *Lucon*, & Sarlatensis, *Sarlat*. *Auscius* vel *Auxitanus* habet suffraganeos decem, Aquensem, *d'Acqs*: Lectoratensem, *Laictoure*: Convenensem, *Conseran*: Aduriensem, *Aire*: Vasatensem, *Bazas*; Lescariensem, *Lescar*; Tarbensem in Castris Bigorris, *Tarbes*; Oleronensem, *Oleroa*, & Bajonensem, sive Boatum, *Bajone*: nam Elusa jam pridem esse desiit: Pampelo vero retracta est ad Hispanos. Pares sæculares cum titulo Ducali sunt, Burgundus, Normannus, & Aquitanus: cum titulo vero Comitatensi, Flander, Tolosanus, & Campanus.

FRANCOS autem imprimis commendant ista 1. Zelus Religionis Catholicæ: nusquam enim terrarum ardentius Deus ab omni sexu, ab omni ætate, ab omnibus ordinibus colitur, & quidem sine ullo vel fuco vel inquisitione: In Gallia se primum exseruit sub Constantino publica Christiani nominis professio, fugato Paganismo. Primus Europæ Regum Chlodovæus Christi fidem in Gallia amplexus est. Primus Carolus Magnus, ut nutantem in Occidente fidem Catholicam stabiliret, Imperium Francorum instituit. Plures

Martyres habuit sola Gallia ob Christi nomen quam cætera omnis Europa. Nusquam alibi plura ob commune Ecclesiæ bonum Concilia celebrata sunt. In Gallia præcipuorum Cœnobiorum sunt origines, Cisterciensium, Clarevallensium, Præmonstratensium, Cluniacensium, Grandimontensium, Carthusianorum quorum propagines in reliquam Europam, imo & terrarum orbem postea deductæ sunt. Franci Romanos Pontifices ut Ecclesiæ Christianæ parentes nudos de suis bonis ditavere; oppressos defendére: ejectos excepere; fugatos restituére: quodque omnium Gentium erat officium, soli præstitere: ob quas res merito Reges Franciæ dicuntur Christianissimi, & filii Ecclesiæ primogeniti. Habet quidem Francia ex suis nuper ortos visceribus hæreticos Calvinistas, sed solos; & quis unquam ager sine lolii mixtura? habet ergo, sed non probat; habet, sed ut formosa facies verrucam: ut Israëlitæ in terra sancta Philistæos; ad fidei suæ exercitium, exigentibus ita adhuc peccatis nostris, denique in spem ipsorum conversionis. 2. Commendat etiam Francos Monarchiæ duratio, jam enim MCC anni sunt, quum Reges Regibus perpetuo succedunt, & quidem præcipuis virtutibus insigniti; alii quidpe Sancti audiunt, alii Fortes, Intrepidi, alii Clementes, alii Augusti, alii Iusti, alii Casti, alii Prudentes: IN LVDOVICVM hodie

hodie regnantem Deus plena manu omnia ista bona simul congessit, addita insuper singulari in rebus gerendis Felicitate. 3. Commendant insuper Francos divinæ defensionis miracula: nunquam enim deseruit cœleste Numen: excitata etiam desperatissimis rebus ad viros animandos virguncula. Quam fuerit stupenda Galliæ post excessum Henrici III, Regis Christianissimi ex circumstantibus malis liberatio, sciunt & testari possunt, qui tunc vixerunt. 4. Adde legum Sanctitatem; ex Gallia quippe cæteræ ferè Gentes per Europam traxere Rerum publicarum suarum administrandarum exemplum. Qui Senatum Parisiensem videt, habet, unde sibi repræsentet Amphictyonum gravitatem, Areopagitarum dignitatem, Senatus Romani splendorem & majestatem. 5. Adde sanctitatem, eruditionem, modestiam, Cleri. 6. Adde toto regno florentes litteras, artes, sapientiam. Vna Parisiensis Schola plurimarum per Europam est mater: ex ea profecti P. Lombardus, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, & miraculum orbis Iulius Cæsar Scaliger. Debent litteratores Budæo, Turnebo, Erasmo, Passeratio. Debent Cuiacio, Alciato, Tiraquello, Iureconsulti: Fernelio, Dureto, Riolano, Medici: Aurato & Ronsardo Poëtæ: Mureto Oratores: B. Hilario & S. Bernardo Theologi: Orontio, Mathematici; Fremenelio pictores: Imperatores denique & belli

Duces

Duces Henrico Magno. 7. Neque omittenda est morum comitas. Huc ergo tanquam in veram humanitatis scholam mittitur quotannis ex omnibus orbis partibus selecta nobilitas, ut cum lingua civilem vivendi modum posita barbarie addiscat. 8. Addam postremo loco ubertatem & felicitatem soli, cujus tria sunt signa certissima: primum, evectiones & exportationes fructuum merciumque dominatarum, tritici, inquam, salis, vini, olei, lanarum, croci, glasti, ferri, telarum, merciumque manufactarum: Secundum, frequentia portuum, versus utrumque mare, interius & exterius, urbiumque nihilominus à mari remoratum amplitudo & multitudo: Tertium, civium copia. Hisce rebus fit, ut una Gallia plura valeat regna.

Sunt etiam in *Gallia Belgica* Germaniæ duæ Cisrhenanæ, diversæ à Germania magna; Dividitque illas Mosella fluvius, quem Ptolemæus Obrincum vocat. In *Germania Superiore* sunt Helvetia, Alsatiæ pars Cisrhenana, Lotharingia, Palatinatus pars, cum agro Moguntiaco. In *Germania Inferiore* sunt Treveri, Leodienses, Mursenses, Clevenses, Bergenses, Iuliacenses, Batavi, aliique, quos omnes, jura quæ habent, & privilegia, & arma, à Francorum regibus tenere nemo gentium ignorat. Hodie promiscue vocant Provincias Belgicas, & Provincias Germaniæ inferioris,

rioris, eas omnes, quas Burgundionum Dux, qui nunc est Rex Hispaniarum, ut patriam hæreditatem vel habet, vel repetit; quamvis illarum nonnullæ trans Rhenum in Germania Magna sitæ sint. In Gallia numerantur, *Artesia*, cujus Metropolis Atrebatum: *Flandria*, in qua Gandavum, Brugæ, Ipræ, Insulæ, Duacum. *Hannonia* habet Valentinianas, & Montes. *Luxemburgum*, *Limburgum*, *Namurcum*, *Cameracum*, *Mechlinia*, habent urbes singulæ suorum nominum. *Zelandia* quoque tota Gallica est, ad ostia Scaldis, constatque pluribus insulis, quarum nobilissima est Walachria, habens opida portusque, Vlissingam, Middelburgum, Veriam, Armudam. Trans Rhenum in Germania Magna, sunt *Frisia Occidentalis*, quæ urbes habet Alcmariam, Enchusam, Hornam, aliasque; *Frisia* simpliciter ita dicta, est in Germania magna, habetque Leovardiam, Harlingam, Doccomium, Franekeram urbes præcipuas. *Groninga*, urbem habet cognominem. *Geldria* habet Rurmundam, & Arnemium. In *Transisalania*, *Overyssel*, sunt Daventria, Campi, Svvolla. Vltima Transrhenanarum Provinciarum in Germania inferiore est *Zutphania*. Ex utraque Rheni parte sitæ sunt, *Hollandia* & *Vltrajectum Vtrecht*. Illius urbes sunt Dordrechtum, Harlemum, Delfum, Leida, Amsterodamum, Gouda: Hujus, Trajectum,

civitas

civitas Archiepiscopalis, & Amersfordia. Habent autem singulæ Provinciæ Curias suas supremas, in quibus jus dicunt peremptorie, & à quibus non datur provocatio. Quæ autem est Hagæ Curia Ordinum Generalium, ea tantum decernit de rebus ex communi confœderatione ad bellum, pacem, & navigationes pertinentibus. Gubernator Hollandiæ, Zelandiæ, & Westfrisiæ post excessum Mauritii Nassovii, est Henricus ejus frater, Princeps Arausionensis, Gubernator Geldriæ & Trajecti est Ernestus Nassovius.

HELVETII, *les Suisses*, Pagos XIII tenent, ut sunt, Tigurinus, *Tzurich*, Bernensis, Lucernensis, Vrensis, Suitensis, Vndervvalt, Tugensis, Glaronensis, Basileensis, Friburgensis, Salodurensis, & Abbatiscellensis. *Valesii* oram tenent quæ inter Rhodani fontes & lacum Lemanum interjecta, montibus utrimque cingitur: urbs præcipua est Sedunum. *Alsatiæ* est Argentoratum: *Nemetum* Spira; *Vangionum* Wormatia. *Palatinatus* habet cis Rhenum in Gallia Frankendaliam & Neostadium.

GERMANIA MAGNA sive Transrhenana nunquam à Romanis exacte cognita, ne dum subacta fuit. Eam omnem Franci hodie ex una ejus gente vocant Alemaniam: Sunt enim Alemani siti ad fontes Danubii: nomen habent vel à viris, nam *man* virum signifi-

significat, ut in Nortman, Herman, Karolman, Duitsman; vel ab Alemone amne ejus tractus. Debet autem Germania Imperium suum Francis nunc, devoluta per Saxones & Suevos ad domum Austriacam gubernatione, paret Burgundioni. Terminatur Rheno, Vistula, Oceano, ac Danubio. Amnes habet præter eos quos jam dixi, Vidrum, *le Vecht*, Amasim, *le Emse*, Visurgim, *le Wyser*, Albim, *le Elbe*, Oderam, *la Odere*. In Rhenum influunt ex parte Germanica Nicer, *le Necker*, ubi sunt, Reutlinga, Tubinga, Stutgardia, Helbrunna, & Heidelberga, Mœnus, *le Mein*, ubi sunt Bamberga, Wurtzburgum quam vocant Herbipolim, ac denique, Francofurtum. Lupia, *la Lippe*, ad quem sunt Paderborna & Lipstat. In Visurgim se præcipitant Fulda, Adrana, Alara. In Albim se exonerant parte dextera Elstera, & Havela; læva, Molda, & Sala. Sunt autem in Germania Regna aliquot, & Ducatus, & Comitatus, & Marchionatus. Regna sunt, *Norvvegia*, in qua Berga; *Suecia*, in qua Stocholmia; *Dania*, in qua Hafnia *Koppenhagen*; *Bohemia* in qua Praga, ipsumque insuper REGNVM GERMANIÆ. Ducatus præcipui sunt hi, *Saxonia Superior* & *Inferior*, quarum hæc habet Ducatum Lavvemburgicum, Luneburgensem, cui vicinus Episcopatus Halberstadensis, & Meckleburgensem cum Ducatu

Brunsſ-

Brunſvicenſi, cui nunc præeſt Vlricus, frater Chriſtiani Halberſtadenſis. Illa Electoratum Saxonicum, cum Miſnia, & Luſatia: nam Weſtfalia, quæ Saxoniæ quondam fuit, nunc alios Dominos habet. Electoratui nunc præeſt Ioannes Georgius, cujus aula Dreſdæ. *Dux Wirtebergicus* in Suevia habet Tubingam & Stutgardiam ad Nicrum fluv. *Dux Bavariæ* habet Ingolſtadium & Ratiſponam ad Danubium. *Dux Sileſiæ* Vratiſlaviam, *Preſlavv*, ad Oderam. *Dux Holſatiæ* Sleſvvicum, Segenburgum. *Wurceburgenſis Dux* præeſt Franciæ Orientali, in qua eſt Bamberga. *Comites* præcipui ſunt iſti *Palatinus*, *le Comte Palatin*. habens cis & trans Rhenum, itemque ad Danubium amplas ditiones. Inferioris Palatinatus caput eſt Heidelberga: Superioris Amberga: utrique nuper, adſumpto etiam Electoris titulo præeſt Maximilianus Dux Bavariæ, poſt ejectum rebellionis titulo Fredericum Palatinum, Iacobi Britanniæ Regis generum: factum id ſolemniter Ratiſponæ anno MDCXXIII, die 23 Februarii. *Comites Embdenſis* & *Oldenburgicus* Friſiis vicini ſunt, pertinentque ad Friſiam Orientalem. *Landgraviatus Haſſiæ* habet Caſſeliam & Marpurgum, cui præfuit Mauritius Calviniſta; nam Darmſtadienſem habet Ludovicus, cui etiam adjudicatum eſt Martpurgum. In *Thuringia* eſt Erfordia. *Marchionatus*

Bran-

Brandeburgicus Sarmatis initio oppositus fuit, nunc est Electoratus, præestque illi Georgius Guilielmus. In eo Marchionatu est Iagerndorf. Archiepiscopus Magdeburgensis est totius Germaniæ primas, habetque suffraganeos Merseburgensem, Michsnensem, Brandeburgensem, & Havelburgensem. Electores Ecclesiastici sunt, Moguntinus, Colonienſis, Treverensis. Sæculares, Saxo, Palatinus, Brandeburgicus & Rex Bohemiæ. *Vrbes Anseaticæ*, *les Villes Anzeatiques*, divisæ sunt in quatuor Ansas, Lubecensem, Colonienſem, Brunsvicensem & Borussicum. *Circuli* Imperii *les cercles ou Kreyts de l'Empire* sunt decem, *Franconicus*, *Bavaricus*, *Austriacus*, *Suevicus*, *Rhenenſis*, *Electoralis*, *Westphaliæ*, *Saxoniæ Superioris*, *Saxoniæ Inferioris*, ac denique *Burgundicus*. Curia sive Tribunal Forense litium decidendarum in Imperio est Spiræ Nemetum, in ripa Gallica. Titulus Imperatoris, ex quo res ad domum Austriacam delata est, sic fere concipitur * * * Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Slavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wittembergæ, &c. Comes Tirolis, &c.

Danubius maximus, inter lacum Constantienſem & Nicri fontes haud procul Schaf-

husia in Hercynia oritur, decurritque per Sueviam & Alemaniam, ubi est Vlma, itemque per Bavariam, Austriam, & Hungariam, ac sumpto Istri nomine mergitur Ponto Euxino, *Mer Major*, ou *Mer noire*, quinque ostiis. Influunt in ipsum amnes LX. quorum præcipui, ex parte dextera, Lechus, ad quem Augusta Vindelicorum *Augsbourch*: Isera, ad quam Frisinga, urbs Episcopalis: Ænus *le Yn*, qui Æniponti nomen dedit, *Yuspruck*, urbi Metropolitanæ, cujus suffraganeæ sunt, Tridentina, Passavienſis, Vienna Austriæ, Gurca, Brixia, Frisinga, Secovia, & Chyema. Recipit autem Oenus Saltzam ad quem sita est Saltzburgum, dicta quondam Iuvavia, sedes Archiepiscopalis; Anisam, *Ens*, qui Bavaros à Pannoniis separat; Tum Arabonem, *Rab*, & nobilissimos amnes Dravum Savumque. Deinde Moravam & jeterum. Sinistra ripa accipit Alemonem, ad quem est Eichstadium. Reginonem ad quem Ratispona, & ex Carpatho monte decurrentes, Teyam, sive Tibiscum, & Malkam, qui juncti, Danubio miscentur.

AVSTRIÆ caput est Vienna, ad Danubii ripam sinistram. Austrum versus ei adsidet *Stiriæ* Ducatus, inter Muer & Mietz amnes, qui in Dravum influunt. Est & Ducatus *Carinthiæ* inter Muer & Dravum, cujus incolæ strumosi. Est denique & *Carniæ*, hisce omnibus Australior.

HVN-

HVNGARIA partem tenet veteris Pannoniæ, quæ tota Cisdanubiana Iazygumque fuit, & *Dacia*, quæ fuit Transdanubiana. Est autem Hungaria Turcorum Imperio proxima, qui in ea quidem occupavit Belgradum an. 1420. Strigonium, & Valponem anno 1443. Quinque Ecclesias, anno 1543 Budam, anno 1526. Albam Regalem 1543. Singidunum, anno 1439. reliqua pars adjuta Principum Catholicorum opibus, hostilem vim adhuc fortiter sustinet. Nam Calvinistæ ab Ecclesiæ defensione sunt alienissimi. Daciam hodie vocamus *Transsilvaniam*, vel *Sibenbergiam*, quasi dicas, Septem castrensem, à septem urbibus, quarum primaria est Cibinum: *Hermanstat*: eam mediam intersecat Marisus fluvius: Possidetur autem à Gabriele Bethlem.

SILESIAE amnis præcipuus est Odera qui & Viadrus dicitur; urbs, Vratislavia *Preslavv*: infra eam est *Moravia*, de qua dixi, urbs præcipua *Olmutz*. Ortum versus sequitur *Polonia*, cujus pars major sive Germanica cis Vistulam sita est; minor sive Sarmatica, trans amnem. Flumina in Vistulam decurrunt ex parte Germanica, Pilcza ad quam sita est Petricovia, *Pieter Kovv*, Tribunal Regni unum: ex ripa verò Sarmatica fluit *Buck*, cui adsidet *Kaminiez*. Vrbs minoris Poloniæ præcipua est, Lublinum, sedes altera

ra Tribunalis. Majoris vero Poloniæ urbes sunt Cracovia, Sandomiria, Posnania, & Varsavia.

BORVSSIA, *la Preisse*, in Regiam & Ducalem dividitur: fuitque olim utraque Equitum Teutonicorum. In illa sunt, Marieburgum, Torunia, Culma, Varmia, Gedanum, *Dantzsok*; in hac, quam à Rege Poloniæ in feudum tenet Georgius Guilelmus Elector Brandeburgicus, sunt Elbinga & Mons Regalis, *Königsberg*, Emporia satis nota. In Littore hujus tractus colligitur Electrum. In *Livonia* sunt Riga & Revalia. In *Curlandia Memel, & Windair*. In *Lithuania*, Vilna. In *Podolia*, quæ se ad Pontum usque Euxinum porrigit, est Kiovia. In *Russia* est Moscouvv, magni Ducis Aula & Tribunal.

ITALIA Alpibus separatur à Gallia & Germania, cætera cingitur mari Ligustico, Tyrrheno, Siculo, Adriatico. Mons Apenninus medio ejus dorso incumbit, pertingens inde à Liguria usque ad mare Siculum, occupansque quartam fere Italiæ partem. Amnes nobilissimi sunt, Padus, qui & Eridanus, *le Po*, Athesis Italis *Adese*, Germanis, *Esch*, Arnus, Tiberis. Padus recipit ex Alpibus Duriam, Ticinum, Abduam, Ollium, Mincium. Parte altera ex Apennino, Granam, Tenerum qui *Stura*, Bormium, Seraiam;

Ga-

Gabellum, Trebiam & Rhenum, qui fluit per Bononiam. Vix autem duæ tertiæ partes Italiæ habent flumen navigabile. Tiberis recipit Clanim, *Cliani*, Narem, *Nera*, & Anienem, *Teverone*. Post Tiberim sequuntur Liris, nunc *Garigliano*, Vulturnus, Silurus, Sybaris, quem nunc vocant, *Cocito*. Inde pergentibus ad Mare superum occurrunt, Ausidus, *Lovanto*, Horatii versibus & clade Romanorum adversus Asdrubalem clarus: postea Aternus, *Poscara*, Metaurus, *Metro*, cujus in ripa Asdrubal Annibalis frater cæsus fuit. *Lacus* in Transpadana regione sunt, Vrbanus, *Lago Major*, qui Ticinum recipit, Cerelius, *Lago di Lugano*, Larius, *Lago di Como*, qui recipit Abduam, Sebinus, *Lago d'Iseo*, qui Ollium transmittit. Benacus, *Lago di Garda*, per quem fluit Mincius. In Hetruria, Perusinus, qui & Trasimenus, & Vulsinus.

In fronte Italiæ est *Pedemontium*, in quo Augusta Taurinorum, *Turin*, Augusta Prætoria, *Osta*, Salutiæ. *Monsferratus* habet Albam Pompejam. *Liguria*, Genuam. In *Lombardia* præcipuas tenet Ducatus Mediolanensis: Supra eum sunt *Rhæti*; quorum urbs Curia, *Coyre*, & ad Abduam *Vultureni*, quos quum tenerent nuper Hispani, extructa ante aliquot annos arce *Fuentes*, & occupata Clavenna, ope & armis Christianissimi Regis

gis Ludovici XIII. in priſtinam libertatem reſtituti ſunt, hac lege, ut ſola fides Catholica illic obtineat. Parte altera verſus mare Adriaticum eſt *Forum Iulii*, in quo Aquileja; Eſt *Iſtria*, in qua Iuſtinopolis: eſt *Carniola*, in qua Labatus: eſt *Tirolenſis* Comitatus. Eſt Marchia *Tarviſina*: Sunt *Verona*, *Vicentia*, *Patavium*, *Venetia*, *Brixia*, *Mantua*, & cis Padum *Parma*. Romandiola juris eſt Pontificum cum Ferraria, ex donatione Pipini & Caroli Magni, Regum Francorum. Hic fuit Exarchatus Ravennenſis, ſive Flaminia. *Venetorum* Reſp. imprimis potens eſt. Poſſidet ea Corcyram in ipſo Sinus aditu ſitam. Tum vicinas Peloponneſo, Cephaleniam, Zacynthum, & Nerigum: inque Ægeo Zaram, & Cretam. Sequitur poſtea Magnus Ducatus *Hetruriæ*, *la Toſcane*, in quo ad Arnum flumen Piſa, Luca, Florentia: Et in mari Inſula *Ilua*, cujus urbs Coſmopolis condita eſt à Coſmo Mediceo. Tum Tractus *Senenſis*, *Peruſinus*, *Orivetanus*, *Picenus*, *Marchia Anconitana*, *Ducatus Spoletinus*. Poſt hæc occurrit, *Latium*, *Campaigne de Rome*, in quo Roma, ſedes Pontificis M. qui nunc eſt Vrbanus VIII. & vicina Romæ Oſtia, Prænеſte, *Pilalaſtrina*, Tibur, *Tivoli*, Alba. Mons Cæcubus eſt in ſinu Cajetano. *Campania*, *Terra di Lavoro*, habet Capuam, & verſus mare Puteolos & Bajas. ubi veterum ſtru-

structurarum monumenta & delitiarum reliquiæ spectantur. In Regno Neapolitano est Neapolis. Montes sunt Vesuvius, *le mont de Somma*, Massicus, Falernus, *Mondragone*. In Aprutio sunt Aquilia, Sulmo, Lancianum, Ortona. In Calabria, Policastrum & Regium. In Apulia Daunia, *Apuglia Plana*, Asculum, Manfredonia. In Peucetia Barum, quo regio Barensis nomen traxit, Polinium, Tranum, Venusium. In Salentinis sunt Hydrus *Otranto*, Callipolis, Brundusium.

INSVLÆ circa Italiam sunt *Corsica* Genuensium, *Sardinia* & *Sicilia* Regis Hispaniarum. minores studio omitto, Gallinariam, Georgonen, Caprariam, Palmariolam, appositam Plumbino, Ischiam, Prochyten, Capreas, fœdis Tiberii obscœnisque libidinibus decantatas. *Melita* ad Africam refertur.

STIRIA Carinthiæ versus Orientem objicitur. Habet amnes, Stiram, Muram, Dravum: Vrbes, Brugam, Grazium, Marchpurgum. *Sclavonia*, Illyrici veteris pars est, sita magna sui parte, Savum inter & Dravum. *Croatia*, Hungariæ vicina est. *Liburnia* vicinior est sinui Adriatico: eamque sequitur Austrum versus *Dalmatia*, in qua sunt, Sara, Sebennicum, cum urbe Spalato, cujus Episcopus M. Antonius de Dominis ad Ecclesiam Catholicam à qua recesserat, reversus est, ac nuper Romæ extinctus. Habet eadem Dal-

matia Stridonem, patriam B. Hieronymi. *Bosena* ad amnem jacet sui nominis. *Servia* est veterum Mœsia superior, adfinis Macedoniæ ex parte sui Orientali. *Walachia* Serviæ Russiæque objicitur ab Oriente: Amnem habet Alutam, qui se in Danubium præcipitat supra Nicopolim. *Moldavia* & *Podolia* tenentur à Poloniæ Rege contra Turcam.

ROMANIA est ipsissima Thracia, habetque ad Bosphorum Constantinopolim, sedem Imperii Orientalis, quæ antea Byzantium dicta fuit, nunc vocatur *Stamboli*. Et quia eadem vocata fuit nova Roma, idcirco regio vicina vocatur Romania. Vrbes in Romania præter Byzantium sunt; Pera, Nicopolis ad Nessum flumen, Philippopolis ad Hebrum, Adrianopolis, Trajanopolis, Selymbria in littore Propontidis. *Bulgaria* in extrema Europa inter Hæmum & Danubium sita est. *Tauricam* Chersonesum quæ *Gazaria* dicitur, insident Tartari Precopenses, subacti nunc à Turca. In *Gracia* primo occurrit trans Danubii decurrentis ripam dexteram, *Macedonia*, tum *Thessalia*, inde *Achaja*, cum *Bœotia*, ac denique *Peloponnesus*. In Bœotia sitæ sunt Thebæ, & Thespia. Ad mare Ionium sitæ sunt, Epirus, *l'Albanie*, *Acarnania*, *Acarnanie*, & *Ætolia*. *Montes* decantatissimi sunt, Athos *Monte Santo*, Olympus, Pelion,

lion, Pindus, Othrys, in Theſſalia. Ceraunii in Epiro: Parnaſſus, Helicon, Hymettus, in Achaja. *Flumina*, Strymon, Alyacmon, Peneus, Sperchius, Achelous, Aſopus. *Vrbes*, Theſſalonica, Philippi, Amphipolis, Pharſalis aliæque. *Promontorium* nobile Actium, ad quod commiſſa Pugna Actiaca. Sinus ſunt Acarnanicus, ad quem Olpæ, nunc *Soppote*, Corinthiacus, *Golpho di Lepante*, cui adſidet Naupactus, Sarronicus, *Golfo di Engia*, Thermaïcus, *Golfo di Theſſalonica*. *Inſulæ* in Ionio, Corcyra, *Corfu*, Nerigus, Cephalenia, Naxus, Ithaca, Zacynthus: inque Ægæo, *l'Archipelago*, Creta centum quondam Vrbibus clara, cum labyrintho, poſtea *Euboea*, quæ Euripo disjungitur à Bœotia. In Ægæo ſunt *Cyclades*, quarum notiſſimæ Delus & Andros, *Sporades*, in quibus Icaria, Samos, Pathmos, Claros, Chios, atque aliæ.

PELOPONNESVS *la Moree*, Iſthmo adhæret continenti. in ea fuere populi Corinthii, Sicyonii, Elei, Meſſenii, Lacones, Argivi, & in medio iſtorum Arcades. Flumina, Ele, Orum, Peneus, ad quem Piſa Olympica, & Alpheus. Meſſeniorum Paniſus, Lacedæmoniorum Eurotas, ad quem Sparta ſive Lacedæmon, Argivorum Inachus ad quem Mycenæ. Montes Pholoe, Stymphalus, Taygetus.

IV. AFRICAM veterum nonnulli Ni-

lo ab Asia disjunxere ; nos Sinu Arabico. Est ergo Africa nobis Peninsula, cujus Isthmus est inter Mare Mediterraneum & Sinum Arabicum : extendit autem se utrimque trans Tropicos, maxima sui parte subjecta solis ardoribus, sicca, arenosa, serpentibus usque adeo scatens, ut alibi deserta sit, alibi non nisi ab ocreatis agricolis proscindi possit Quæ trans Æquatorem sita sunt, non describuntur à Græcis aut Romanis scriptoribus. Est autem in ea statim ab Isthmo Ægyptus, inde Marmarica, & Cyrenaica, quæ & Pentapolis dicitur ; tum Byzacium, & Africa sive Libya propriè dicta : adhæc Numidia, ac denique Mauritania, & quidem duplex, Tingitana & Cæsarienſis. *Ægyptus* Nili ostiis continetur, quorum extrema sunt, Orientem versus Pelusiacum, ubi Damiata ; versus Occasum Canopicum, ubi Alexandria & Pharus ; loca Francorum Regum expeditionibus clara. Reliquum Africæ latus usque ad Fretum Gaditanum vocant vulgo *Barbariam* : suntque in ea emporia, Tripolis, Africa, Tunis, Goleta vicina Carthaginis ruinis, Hippona, *Bona*, Algerium nec procul à Freto, in sinu, sita est arx *Penon de Veliz*, Gothorum vel Saracenorum opus.

TINGITANA Austrum versus Atlante monte eminentissimo terminatur, versus Ortum Malva fluvio separatur à Provincia Cæsarienſi :

sarienſi: verſus Septentrionem eſt mare Mediterraneum: ad Occaſum Oceanus Atlanticus. In ea ſunt montes Abyle & Heptadelphi. Regna hodie Feſſæ & Marocci. *Feſſanum* regnum habet Provincias ſeptem. 1. eſt Tremizen quæ nunc Sævia, in qua urbes olim x 1. hodie memorantur Oranum ad littus, Tremezen, Anafa, Mancora, Rabatum, Menzala, Nuchele, Adendum, Tegegiltis, Madaravanium, Dazia, Azarfa 2. Feſſa, in qua urbes, Sala Mequines, Feſſa, quam triurbem merito dixeris; conſtat enim oppido veteri, novo, & medio. 3. Aſgaretta, in qua Laracha, Alcazara, Arzil. 4. Habata in qua Ezagena, Beniteudia, Amergo, Tenzerrum, Aguila, Bezatum, Tetuana, Tingio, & Ceuta, quæ veterum Septa eſt. 5. Errifana, in qua Beatis, Vellezum, Hiellezium, Tagaza, Geba, & Megima. 6. Garetia juncta regno Tremezen, habetque oppida, Melilla, quæ Ptolemæo vocatur Ryſſadirum, Caſſacan, Tezuotam, & Megenum. 7. Eſt Chauſa, vicina Numidiæ, in qua Teuretum, Dudubum, Tezara, Ainelginunum, Mehedia, Vmeginnabe, & Garclivum.

MAROCVM creditur eſſe Bochi Regia; ſunt qui malint eſſe Bocanum Himerum, adſidet autem Tenſiſto flumini, quod Nubienſis Geographus vocat Tanſiſt: habuit urbs ipſa quondam c. millia ædificiorum,

portas XXIV, abestque non procul ab Agmeti angustiis, per quas ad Lamptunias solitudines, itur. Provinciæ illi subjectæ sunt septem, inter quas Ducala, & Tedela.

CÆSAREENSIS Mauritania est Sallustii Numidia: sed post conditam Iuliam Cæsaream juncta est Mauritaniæ: clauditur versus Ortum Ampsaga flumine, nomenque habet ab urbe primaria quam hodie vocant, *Alger*. Fuit autem Numidia Masanissæ Regis nomine celebris: urbes habuit, Iuliam de qua jam dixi, Arsenariam, Ruscibar, Rusibirsim, Saldas.

In *Africa* sive *Libyæ* proprie dicta fuere Hippo Regius, Aphrodisium, Vtica, Carthago, Tunis, Maxula. Syrtes duæ, major minorque: Amnes Rubricatus, Bagrada, Triton.

BIZATIVM Lybophœnices primi coluere, estque Africæ ea pars, in qua duæ illæ sunt Syrtes: urbs primaria Hadrymettus, fluvius Cyniphs. *Cyrenaïca* sive Pentapolis quinque habet urbes, quarum præcipuæ sunt Arsinoë & Berenice. Cæterum confusis veterum limitibus auctoque Arabum Mahumetanorum imperio omnia ista nunc subsunt Regi Tunetano, qui ditionem istam in quatuor provincias distinxit. 1. est Constantina, in qua urbes novem, Collobesus, Ruscicada, Tacaccia, Hippo, Biserta, Constan-

ſtantina, Milia, Tifeſa, & Tebera. 2. Tunetana, in qua urbes quatuordecim, Vtica, quam Itali hodie vocant Porto Farina, Carthago, Tunes, Camartia, Abdirana, Nebilis, Hamametha, Clupea, Heraclia, Singul, Monaſterium, Tabulba, Aphrodiſium, Ruſpina. 3. Tripolitana, continet Menigem Inſulam, quæ Lothophagitis, nunc Gerbi: adhæc, Zoroatam, Lepidem, ipſamque Tripolim Aſiaticorum coloniam. 4. eſt Zebenſis, ad quam interiora Africæ Numidiæque pertinent. In hac eſt mons Atlas, qui ex Marmarica ortus, ſe in Occaſum late ſpargit, ac juxta fauces Suſi amnis, qui Meſſam tergeminam urbem alluit, in Oceanum ſe fundit Atlanticum.

Prope Marocum eſt Promontorium Cantin, & in Oceano Inſula Maderæ, & magis Auſtrales, *Inſulæ Canariæ*. Sequitur poſtea Regnum, *Gualate*, cum Promontorio Abo, *Cabo Blanco*: cui Auſtrum verſus objicitur Promontorium *Viride Cabo Verde*, à quo vicinæ inſulæ vocantur Virides, *iſtes de Cabo Verde*. Decimo ab Æquatore gradu occurrit Promontorium, *Serra Lionna*, ubi littus in Orientem curvatur, habetque Regnum *Guineæ* auriferum. Sub Æquatore eſt *Inſula S. Thomæ*, cui ſupra infraque adjacent inſulæ, *Principis*, *Iſola del Principe*, *Anni Boni*, *de Anno bono*, ubi jam littus

ad gradum usque xxxv. in Austrum porrigitur: quo in tractu est Regnum *Congo*, vel *Manicongo*, & Regnum *Angola*: tum Promontorium Bonæ Spei, *le Cap de bonne Esperance*. Vnde se iterum littus in ortum æstivum curvat, extenditque etiam trans Æquatorem usque ad Promontorium Aromata, quod vulgo vocant *Cabo de Guardafu*, ostium sinus Arabici. In continenti sunt *Monomotapa*, *Mozambica*, & ad Sinum Arabicum, *Adel*, cum Insula Zocotora, aloës optimi feracissima, quam Ptolemæus vocat Dioscoridum. Insula nobilis *Madagascar*, sive D. Laurentii à Tropico Capricorni ad xii. usque ad gradum ab Æquatore porrigitur. Interius in Africa sunt, *Biledulgerid*, *Nubia*, & *Regnum Abyssinorum*, potentissimum. Sunt autem Regis hi fere tituli *** Supremus meorum regnorum, à Deo unice dilectus, columna fidei, ortus ex stirpe Iuda, filius David, filius Salomon, filius columnæ Sion, filius ex semine Iacob, filius manus Mariæ, filius Nahu secundum carnem, filius sanctorum Petri & Pauli secundum gratiam. Imperator superioris & inferioris Æthiopiæ, & amplissimorum Regnorum, jurisdictionum, & terrarum, Rex Goæ, Caffares, Angolæ, Barn, Baliguaza, Adoæ, Vanguæ, Goyamæ, ubi Nili fontes sunt, Amaræ, Baguamodri, Ambeæ, Vanguci, Tigremahon, Sabains, quæ

quæ patria est Reginæ Sabæ; Barnagassi, & Dominus usque in Nubiam, quæ in Ægyptum extenditur. Amnes nobilissimi Africæ sunt, Mulucha, qui Mauritaniam finit. Ampsaga qui Numidiam. Nilus, insulam faciens Meroën, quæ nunc dicitur *Gueguere*, & Niger. Ad Nilum fuit Memphis, nunc est Cairus, cui vicinæ Pyramides. Lacus sunt *Zaire* & *Borroa*. Montes præcipui, Heptadelphi, Abyle, Atlas, Lunæ. Porrò Atlas sic per Africam discurrit, sicut per Asiam Taurus, per Europam Alpes. *Deserta* Africæ sunt, *Tegazza*, *Barcha*, *Elsocar*. *Henr. Promontoria* si à Gadibus proficiscare, *Cantin* quod Ampelusiam vocat Mela; *Dalguer*, *S. Maria*, *Blanco*, *Verde*, quod est veterum Hesperion keras, *Roxo*, *Vorga*; *de las Palmas*, *de las Baxas*, *de tres punctas*, *de S. Paul*, *de sainct Benoist*, *de Lopes Consalves*, *de Primero*, *de Lerdo Arcas*, *Negro*, *Cenertan*, *de Bonna Esperanza*, *de Correntes de Guardafu*.

Totus vero Tractus Ægypti qui ad Sinum Erythræum extenditur, olim tributus fuit Asiæ, nunc pertinet ad Africam. In eo Tractu hoc est memorabile; quod nullum flumen inde se exoneret in Mare rubrum. Ipsum illud mare hodie vocatur Italis *Mar Russo*: Arabibus Calzem, Hebræis, Iam Suph. Scatet autem insulis, & cæcis vadis. Fretum sive ostium sinus vocant hodie Babelmandel. Mer-

ces Africanæ sunt, Ebur, Aurum, dactyli, coria caprina, bubula, aliaque: adhæc Zibetum, Psittaci, Simiæ, Elephantes.

V. ASIAM ab Europa dividunt Tanais fluvius *Don*. Mæotis Palus, *Mar del Zabache*. Cimmerius, *Boccadi S. Ioanni*, Pontus Euxinus, *Mar Maggiore*, vel *Mar Negro*. Bosphorus Thracius, *Stretto di Constantinopoli*, Propontis, *Mar di Marmora*. Hellespontus, *Bras de S. George*, vel *Destroit des Casteaux*. Mare Ægæum, *Archipelago*, & Mare Syriacum. Ab Africa Isthmus, & Sinus Arabicus, cætera clauduntur Mari Arabico, Oceano Indico, Eoo, & Sarmatico. Vna autem Asia sua magnitudine æquat Europam & Africam simul junctas. Dividetur autem ea rectè à nobis in partes septem. I. habebit ditionem Imperatoris Turcarum. II Moschi ditionem Asiaticam. III. Terras Magni Tartarorum Chami. IV. Persarum Dominium. V. Indiam utramque, tum eam quæ est intta Gangem, tum eam quæ est extra. VI. Sinas. VII. Insulas Eoas.

TVRCARVM Imperio nunc præest Sultanus Amurathes, post Sultanum Osmam, & Sultanum Mustapham. Ejus in Asia partes sunt istæ. *Natolia*, quæ est Asia minor, *Syria*, *Arabia*, cum insulis ad Asiam pertinentibus, Tenedo, Icaria, Chio, Carpatho, Rhodo, Cypro. Hisce omnibus in Asia præ-

sunt

sunt XXIX Beglerbegi: nimirum Natoliæ, qui præfectus est undecim Provinciis Caramaniæ, qui septem, Sivas, Tocati, Dulgarid, Aleppi, qui subjectas habet VII Præfecturas, Cham, sive Damasci, qui decem: Tripolis, qui V Maras, Diarbech, Bagdar quæ est Babylonia, qui XVIII Balsas ad ostium Tigris, Carman, Aden, seu Gemen quæ est in Arabia Fælice, habetque sibi subjectas præfecturas V. Chebetz, quæ est in Cypro, Scheherezul, quæ est in Assyria. Vnan, in finibus Persarum præfectus XIII Provinciis. Arzerum in Armenia majore, qui III Tiflu, Tschildir, qui IX, Sochum, Cars, Temircapi, Batin in finibus Georgianorum: Sirvam seu Mediæ: Fassæ in Mangrelia, Revan, & Somachiæ. *Navalia* Turcæ quatuor in universum sunt, unum in Pera, pro urbe Constantinopolitana; Secundum Callipoli, pro Ponto Euxino; Tertium in Zues, pro sinu Arabico; Quartum in Balseram ad tuendum sinum Persicum.

MARE Caspium *de Sala* vel *Bachu.* in hac parte est, quod falso crediderunt Veteres Sinum esse Oceani Septentrionalis, undique enim terris clauditur: exonerant se in illud ab Occasu Araxes, à Septemtrione Rha, ab Ortu jaxartes & Oxus, ab Austro Cyrus. *Amnes* in Pontum Euxinum influentes sunt Thermodoon, Iris: *Ponti*, Halys: *Galatiæ*,

Parthenius, & Sangarus: *Bithyniæ*, Rhindacus: In Ægæum influunt ex *Phrygia*, Simois & Scamander. Ex *Lydia* Caycus & Hermus. Cayſtrus & Mæander ex *Caria*. Xanthus ex *Lycia*. Cataractes ex *Pamphylia* ſive *Caramania*. Cydnus ex *Cilicia*, qui Tharſum, Pauli Apoſtoli patriam, præterlabitur. Orontes ex *Syria*, cui adſidet Antiochia: Iordanes ex *Paleſtina*. *Lacus* ingens Aſphaltites, in quem ſe effundit Iordanes. Hic ex Libano duobus capitibus oriens, Ior, & Dan, per Samachoniten lacum & mare Tiberiadis ſe exonerat in eum quem dixi Aſphaltitem lacum vel Mare mortuum. *Vrbes* Aſiæ præcipuæ nunc ſunt, Theodoſia *Caſa*, & Trapezus *Trebizonde*. Fuerunt quondam Amaſius, Pruſa, Chalcedon, Abydus, Troja, Smyrna, Colophon, Epheſus, Miletus, Patara, Tarſus, Antiochia, Tripolis, Berytus, Tyrus, Sidon, Ioppe *Iaffa*, Aſcalon, Azotus, Caza, Damaſcus, Hieroſolyma; quam Ælius Adrianus à ſe Æliam vocari voluit. *Montes Phrygiæ* Cimon & Ida, cujus pars Gargara. *Lydiæ* Siphylus, *Cariæ* Cadmus: Sunt etiam in hac Aſiæ parte Taurus & Antitaurus, itemque Libanus & Antilibanus. In *Cypro* ſunt urbes famoſæ, Salamis, quæ nunc Famaugusta, Amathus, Paphus, & Nicoſia.

ARABIA triplex eſt, Petrea, in qua Petra

tra oppidum; Deserta, inter Ægyptum & Petream: Fælix inter Mare Erythræum & Persicum. In deserta sunt montes Sina & Horeb, ubi Deus Mosi tabulas legis dedit.

Populi confines, Moabitæ, Idumæi, Iudæi, Galilæi, Samaritani. Tituli Magni Turcarum Imperatoris hi sunt. Imperator *** Filius *** semper victor. Ego, qui per infinitas gratias Omnipotentis, & abundantiam miraculorum Principis Prophetarum, sum Imperator Augustorum Imperatorum, distributor coronarum ac diadematum inter maximos terræ Principes, minister duarum sacratissimarum & augustissimarum urbium & pulcherrimarum totius orbis, Meccæ & Medinæ, protector sanctæ Hierusalem, Dominus maximæ partis Europæ, Asiæ, & Africæ, victrici nostro ense partæ, scilicet regionum & regnorum Græciæ, Themisuar, Bosnæ; Segeti, Natoliæ, Caramaniæ, Ægypti, omnisque terræ Parthorum, Curde, & Georgianorum, portæ ferri, regionisque Principis parvorum Tartarorum, Cypri, Diarbequir, Aleppi, Erserum, Damasci, Babylonis, Barzaræ, Arabiarum, Abech, Tunis, Tripolis, Barbariæ & plurimarum aliarum regionum, insularum, fretorum, portuum, populorum, familiarum, generationum; & infinitarum myriadum præstantissimorum militum qui sub nostro obsequio requiescunt & sub mea

justi-

justitia, qui sum Imperator *** Filius Imperatoris ***, Imperatoris Mahumet, Imperatoris ***, Imperatoris ***, & Imperatoris *** gratia Dei, refugium præcipuorum Principum Mundi, & asylum honoratissimorum Imperatorum.

MAGNVS MOSCORVM sive Russorum Dux præter ea quæ in Europa tenet, ingentes habet regiones in Asia, confines Tartaris, ut sunt *Pezour*, *Condora*, *Permia*, *Duvina*, *Obdora*, usque ad Volgam flumen. Tituli Ducis hi sunt *** Gratia Dei Imperator & Dominator totius Russiæ, magni Ducatus Volodimiræ, Moscoviæ, Novogrod, magnæ Pskoviæ, Smolenskiæ, Thueriæ, Ingariæ, Permiæ, Wiathkiæ, &c. Dominator & magnus Princeps Novogrod regionis inferioris, Czernigol, Retzan, Wolochdæ, Bsoviæ, Bielloy, Rostoviæ, Iorosloviæ, Poloczkiæ, Vdor, Obdoræ, Condimiæ, &c.

PERSICVM Imperium transmisso Euphrate sequitur, estque proximum ei Mare Caspium, quod undique terris clauditur. Terminus Persarum Imperii est Indus amnis. Sunt autem in eo *Media*, *Assyria*, *Susiana*, *Mesopotamia*, *Persis*, *Parthia*, *Hyrcania*, *Margiana*, *Bactriana*, *Paropamisus*, *Aria*, *Drangiana*, *Gedrosia*, & *Carmania*. Flumina, Euphrates & Tygris, qui in Armenia orti diversis fontibus, postea junguntur, effunduntque

se

se in mare Persicum sive Rubrum. Mons Taurus variis nominibus pro locorum situ appellatur per totam Asiam, Imaus, Emodus, Paropamissus. Vrbs in sinu Persico memorabilis est, *Ormus*, quam superiore anno qui erat 1623 eripuit Persa Hispano.

TARTARI Septentrionalia Asiæ tenent à Mæotide usque ad Oceanum Eoum, neque est ullius in toto orbe majus latiusque Imperium. *Tartaria Deserta* multas hordas habet. *Zagatai* est Scythia intra Imaum, nomine à Sogdianis petito. *Catai* regnum cœlo, soloque beatissimum. *Tangut* est Scythia extra Imaum, cum Serica regione vicina Sinensibus. Vrbes præcipuæ sunt, Combalu, Samarçanda, Caindus. Caffa, quæ est in Tartaria Præcopensi, est veterum Theodosia. Quinsai urbem totius orbis maximam solus memorat Paulus Venetus, qui de ea stupenda narrat, fidemque excedentia. Pertinent autem ad Septentrionalem Tartariam Samoitæ, oppositi freto Weygatz. Flumina præcipua sunt, Pulisachnis, Caromora, Quiantu, & Quiam, quorum istum ajunt latissimum esse & profundissimum.

INDIAM Ganges mediam secat, quo fit, ut pars ejus Persis vicina, sive occidua, vocetur India intra Gangem, altera vero, extra Gangem, Illam hodie appellant *Indostan*: suntque in ea *Cambaja*, *Bisnagar*, in qua

qua urbs *Goa*, *Calicut*, *Narsinga*, cum Insulis *Ceilon* & *Maldivis*, quarum numerus ignoratur. In Transgangetana sunt, *Bengala*, *Pecu*, & ingens Promontorium in quo Malacca. Eidem accensetur quoque *Sumatra* insula, quam Plinius & Ptolemæus vocant Taprobanam; describuntque exactius quam nobis hactenus innotuit. Merces Indiæ sunt aurum, sericum, gemmæ, uniones, aromata, ut piper, caryophylli, nuces myristicæ, cinnamomum, rhabarbarum, aliaque.

SINARVM regnum in Zona temperata situm est; terminaturque Mari Eoo, India, & Tartaria, à qua per spatium CCCC leucarum, ubi natura montium munimentum non dedit, muro discluditur, humana industria exstructo. Regio amplissima est. Provinciæ in ea CL. Metropoles CCXXV. Castella majora MCLIV. Municipia CCCCXX. Villarum pagorumque numerus innumerus. Incolarum summa excrescit ad LXX. myriadas. Vrbes præcipuæ sunt *Panquin* & *Nanquin*, Cives ibi & per omne regnum ingeniosi atque industrii: Typographias, Tormenta bellica, cum usu pulveris sulphurei, aliasque artes habuerunt ante nos.

INSVLÆ *Maris Eoi* sunt *Iava Major*, *Borneo*, ferax aromatum *Ceilam*, *Molucca* quinque, Ternate, Tidor, Mutir, Machiam, & Bachian, occupatæ à Batavis, qui etiam

etiam possident Amboynam & Bantam. *Luconiam*, *Philippinas*, & *Iaponiæ* partem tenet Hispaniarum Rex. Abundat autem Iaponia argento: cæteræ insulæ gemmis, unionibus, aromatibus.

VI. Superest spectanda AMERICA, inter Mare *del Zur* & *del Nort* interjecta; eam dubia perdiu suspicione, postea accuratiore Christophori Columbi, Cortesii, Valboæ, Pizari, Americi Vesputii, & Ferdinandi Magellanis inspectione cognitam descriptamque ob ingentem amplitudinem statim *Novum Orbem* vocavere: inventa est autem anno MCCCCXCVII. regnante in Hispania Ferdinando Aragonum Rege. Dividiturque in Septentrionalem & Australem, quas partes connectit Isthmus Darienis. In illa sunt *Estotilandia*, *Terra Laboratoris*, *Canada*, *Nova Francia*, *Norumbega*, *Virginia*, *Florida*, *Iucatan*, *Nicaragua*, *Nova Hispania*, *California* & *Quivira*. Interius *Nova Granata*, & *Nova Hispania*. In hac sunt, *Castelia Aurea*, *Plopaiana*, *Peruvia*, *Chili*, *Chica* & *Brasilia*. Peruvia sub Karolo V. detecta est MDXXX. Brasiliam commendant portus Fernamboci, & *Totos sanctos*, proventu saccari nobiles, quorum hunc Batavi quum anno MDCXXIV. occupassent, deserere iterum coacti sunt.

Amnes præcipui sunt, Paragnian, fluens per

per Novam Franciam, Maragnion, qui idem vocatur fluvius Amazonum, per Meridionalem Americam labens. Fluvius Argenteus, *Rio de la Plata*. Hi omnes exonerant se in Mare *del Nort*. In oppositum vero mare sive Pacificum, quod vocant *del Zur*, nullus (quod mirum est) eximius amnis labitur: tantum inter Californiam & Novam Granadam Caramara fluvius se injicit in Sinum Vermilium. Vrbes in America præcipuæ sunt Cusco, Mexico, Quito, Havana, Nombre de Dios. Insulæ in sinu Mexicano sunt, *Cuba*, *Hispaniola*, quæ & S. Dominici insula vocatur, *Iamaïca*, quæ & S. Iacobi dicitur, *S. Ioannis*, quam Boriques nominant, *Margarita*, quibus prætexuntur ea quæ vocantur *Antillas* vel Camercanæ insulæ, quæ omnes Hispano subjectæ sunt. Vlterius Ortum versus in patente Oceano ad gradum latitudinis XLVIII, sunt *Azores*, sive Flandricæ, ad quarum meridianum acus magnetica recta in Septentrionem fertur. Merces Americanæ sunt Argentum, Coria, Sal, *Conciniglia*, Gemmæ, Vniones.

Nunc Terris peragratis aperienda quoque sunt MARIA: est enim homo animal amphibium, & non minus mari præest quam terræ: sed illi ob hanc. Maria igitur partim terras subeunt, partim circumluunt. illud ubi fit, Sinus est; hoc Insula. Mare autem quod-

vis

vis terras subiens vocari potest Mediterraneum, sicut est; quod vero ambit, vocatur Oceanus: Mediterranei tamen nomen singulariter illi Sinui adhæsit, quod per Fretum Herculeum immissum, Europæ, Africæ, atque Asiæ oras non tantum tangit, sed etiam terminat. Id Græci Latinique interius vocant, Arabes, Damascenum. In eo sunt, *Mare Ibericum*, *Balearicum*, *Gallicum*, *Ligusticum*, *Tyrrhenum* sive *Hetruscum*, *Siculum*, *Adriaticum*, *Ionium*, *Creticum*, *Ægæum*, *Archipelago*, cujus pro Insularum numero varia nomina. nam à Myrto Myrtoum, ut Icaria Icarium, ab aliis Rhodium, Carpathium, Lesboum, *Hellespontus*, *Bras de S. George*, *Propontis*, *Mar di Marmora*. *Bosphorus Thracius*, *Sarette di Constantinopoli*; Hellesponto Xerxes, Thracio Darius in Europam irrupit. Ad hæc *Pontus Euxinus*, *Mar Maggiore*, *Bosphorus Cimmerius*, *Bocca S. Ioanni*, Palus *Mæotis*, *Mar della Tana*, Scythis *Temerida*, in quem influit Tanais, quem Scythæ *Silim* vocant. Littora autem Asiæ atque Africæ ab Hellesponto stringenti, occurrunt hæc maria, Carium, Rhodium, Pamphylium, Cilicium, Syrium, Phœnicium, Palæstinum, Iudaïcum, Ægyptium, Cyrenaïcum, Lybicum, Numidicum, Mauritanicum.

Alter sinus est Septentrionalis, Codanus, Bal-

Balthicus, Germanicus, Cimbricus, extenditurque à freto Sontico usque ad extremas Finniæ & Boddiæ oras. Estque hoc in Finlandia memorabile, quod tribus à Rasseburgo milliaribus Austrum versus inter cautes marinas locus sit, ad quem naves quum appulerunt, vident acum pyxidis nauticæ statim in gyrum verti, nec cessare hunc motum, priusquam uno inde milliari abscesserint.

Tertius sinus quem veteres plerique (nam Herodotus & Aristoteles à cæteris dissentiunt) crediderunt è Scythico Oceano proficisci, & esse *Mare Caspium*, imaginarius est, imo erroneus: mare enim istud undique terris cingitur. Esto ergo nobis Tertius sinus *Arabicus Mar di Mecca*, à patria Mahometi. Quartus Persicus: pertinent autem hi duo ad Mare Erythræum. Quintus Argaricus sive Gangeticus, *Golfo di Bengala*.

In Hemisphærio Occidentali sive Americano duo sunt Sinus memorabiles. *Mexicanus* & *Vermilius*.

OCEANVS ipse pro situ aut qualitate varia sortitur nomina: vocatur Scythicus, Septentrionalis, Glacialis, Cronius, Amalthius sive Hyperboreus Germanicus, Britannicus, Calcedonius (nam Deucaledonius, fictitium est) Gallicus, Aquitanicus, Cantabricus, Hispanicus, Atlanticus, Æthiopicus, Indicus, Sericus, Australis, Eous, Sinensis,

S. La-

S. Lazari, *Mar del Nort*, *Mar del Sur*, sive Pacificum.

PERIPLVS oræ maritimæ in nostro Hemisphærio sic se habet. A *Freto* Weygats usque ad Promontorium Caninos, *Russia* est, sive *Sarmatia Europæa*. Inde ad Promontorium Norvvegiæ maxime Septentrionale, *Finmarchia*: Vnde ad Fretum Sonticum sive Balthicum, *Norvvegia*. A Freto Baltico usque ad Albis fluminis ostium, est Chersonnesus Cimbrica sive Dania. Ab Albi ad Rheni ostia, littus *Germanicum*. Hinc ad Bajonam, littus *Gallicum*, variis nominibus, Flandricum, Normannicum, Britannicum, Santonicum, Aquitanicum. A Bajona ad Promontorium Celticum ora est *Cantabrica*, *Biscaye*. Inde *Portugallica*, post quam sequitur *Batica*, sive Andalusia. A Gadibus & freto Herculeo usque ad Promontorium Capitis Viridis est *Africa*: Inde ad Promontorium *Serra Lionna*, *Guinea* & *Nigritarum* ora. Tum sequitur Regnum *Congo* & *Angola*; ad Caput Bonæ Spei, *Zanzibar*: Postea littus *Monomotapæ*; à quo ad Promontorium usque Guardafu juxta Sinum Arabicum, est littus *Mozambicæ*. Hinc sequitur littus *Arabicum*, *Persicum*, *Indicum*, & ad Orientalem Oceanum littus *Sinæ*. Vnde per Fretum Anian reditur ad Mare Septentrionale, & Fretum Weygaz.

PERI-

PERIPLVS Americanus ex iis quæ diximus noſci poteſt. In ora maxime Septentrionali nobis cognita ſunt freta Davis & Forbriſſeri à quibus ad Promontorium Breton eſt *Eſtotilandia* cum *Terra Cortereali*. A Britonum Promontorio uſque ad Caput *de Arenaz* eſt *Norumbega*, tum NOVA FRANCIA, & *Virginia*. Hic ſe in Iſthmum contrahit vaſta regio, facto ab Oriente in Occaſum ingenti Sinu, qui vulgo *Mexicanus* dicitur. Iſthmus utrinque Oceano pulſatur. Promontorium in eo *Iucatan*, à quo ſurſum verſus ora Septentrionalis pertinet ad Novam Hiſpaniam: inferior ſive Auſtralis vocatur *Nova Caſtella*. Hinc ad Promontorium Alindæ & fluvium Maragonem ſunt oræ *Caribantis* & *Tiſnadæ*, ſubjectæ Æquatori. A Promontorio Alindæ uſque ad Cabo Frio quod ſubjacet Tropico Capricorni littus eſt *Braſiliæ*, in quo nobilis Portus S. Salvatoris. Hinc ad oſtium fluminis Argentei, *Roi de la Plata*, ſunt *Topinikini*. Vnde ad Fretum Magellanicum regio *Chica* ſe pandit. Fretum ipſum creditum eſt unicum eſſe dumtaxat, nec poſſe in mare adverſum niſi eo ſolo penetrari: Sed ab Iſaaco *le Maire* edocti ſumus, eſſe etiam alias vias magis vergentes ad Polum Antarcticum, quibus commodior ſe aperit navigatio; quas tamen vias Hiſpanicæ Tabulæ ante hos annos x x x. editæ, aliæque Ve-

Venetæ his ipsis vetustiores signaverunt. A Freto igitur isto recta fere se in Septentrionem spargit littus, habens interius Regnum *Chili*, usque ad Promontorium Fortunæ, à quo ad Promontorium S. Iacobi est *Peruvia*. Inde ad Promontorium Vermilium ora *Nova Hispania*. A Promontorio Vermilio usque ad *Sierra Novada*, est *Cali-Fornia*. A qua ad Fretum Anian, Quivira. Fretum autem Anian creditur Americam ab Asia separare.

Addamus hoc loco aliquid de *Marium* inter se *Conjunctione*, nam & hæc res ad Geographiam pertinet, quatenus ea Politicæ ancillatur. Iungi ergo posse inter se Maria, quæque natura primo discluſit disjunxitque, posse remotis impedimentis reddi navigantibus pervia, docuit nos ipsa natura; Siciliam quippe, quum continens esset, agroque Brutio adnexa, mare ex Tyrrheno & Hadriatico immissum, adesis Isthmi angustiis intercepit, fecitque Insulam, & ut ait Poëtarum Princeps,

——*quum protinus utraque tellus*
Una foret, venit vi magna Pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque
& urbes,
Littore diductas angusto interluit æstu.

Avulsit simili modo natura Cyprum Syriæ. Eubœam Bœotiæ, Eubœæ Atalantem

& Macrin, Besbicum Bithyniæ, Leucosiam Sirenum promontorio, docuitque nos suo exemplo, jungere inter se Maria, sublatis obstaculorum molibus ad usum commerciorum. Est enim ut Ars Imitatrix naturæ, ita natura Artis dux, magistra, & comes. Hoc modo fretum Gaditanum ajunt ab Hercule perfossum. Sesostrim quoque ferunt Ægypti Regem, & post eum Psammitichum, ac denique Ptolemæos, ducta ex Nilo in sinum Arabicum fossa, conatos esse navigabilia inter se reddere maria, internum sive Mediterraneum, & Æthiopicum. Fuit quoque consilium Seleuco Nicatori, Pontum Euxinum jungere Mari Caspio. Nero Imperator Isthmum Corinthiacum perfodere conatus est, & ex Peloponneso insulam facere, ne ex Ionio in Ægæum proficiscentibus opus esset periculosissimum Maleæ promontorium præternavigare. Carolus Magnus Francorum Rex, & primus Imperator, quum expeditionem meditaretur in Græcos, fossam ducere instituit ab Alemone in Radantiam, ut commeabilia inter se efficeret Oceani & ponti littora, posset que exercitus suos & castrensia impedimenta ex Oceano, Mosa, & Mosella in Rhenum, inde in Mœnum amnem, postea in Regnesum & Radentiam, inque Alemonem & Danubium deducere, atque ita secundo amni usque in Pontum Eu-

xinum deferre. Sed & ante eum Lucius Vetus, qui imperante Nerone exercitibus in Gallia præfuit, Moſellam & Rhenum facta inter utrumque foſſa conatus eſt nectere, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arari per illam foſſam ſubvectæ, mox fluvio Moſella in Rhenum, exin in Oceanum devenirent, ſublatiſque itinerum difficultatibus navigabilia inter ſe Occidentis Septentrioniſque littora fierent: cujus tamen inſtitutum impeditum eſt à Gracili. In Hiſpania etiam non ſemel actum eſt de perfodiendo Iſthmo Dariem, qui Americæ partes connectit, ducendaque foſſa inter *Non pre de Dios*, , & Panaman, ut ita ex ſinu Mexicano in Mare pacificum navigari poſſet, pateretque inter duas Americas liber & tutus Hiſpanis in Indias Orientales itus ac reditus. Statuerat quoque Franciſcus I, Atacen Garumnæ committere, ut ne opus eſſet iis qui ex portubus Galliæ Mediterraneo mari adſitis in Oceanum Aquitanicum, aut Gallicum, aut Germanicum proficiſci vellent Hiſpaniam omnem Circumnavigare, & præter itinerum moras, pericula, impenſas, alieni quoque Regis Imperium experiri. Quin & noſtro hoc ſæculo Præſidis Ieannini ſagaci induſtria inventa eſt ratio jungendi Ararim cum Ligeri, beneficio lacus cujuſdam in Burgundia, pari fere octo leucarum intervallo utrimque ab iſtis

amnibus siti, ut ita ex Massilia portubusque vicinis subvectæ naves in Rhodanum, ex Rhodano in Ararim, ex Arari in eum quem dixi lacum pervenirent, unde postea in Ligerim, inque Oceanum secundo amni descenderent. Lacum vocant *Long-pendu*, constatque, ex eo lacu duos amnes fluere, Verbincham & Dunam, quorum alter supra portum Digoini se injicit in Ligerim: alter prope Verodunum miscetur Arari; ut videri possit natura ipsa Regem nostrum ad tantum opus suis quoque subsidiis invitare. Ad quas commoditates illa etiam accedit, quod per canalem Briaræ ex Ligeri in Sequanam, ipsamque Parisiorum urbem Lutetiam, facilis atque expedita possit institui navigatio. Si ad cæteras Galliæ laudes, de quibus suo loco breviter dixi, hac una posset accedere, haberet procul dubio Gallia Regis beneficio compendiosam, commodam & fructuosam mercium suarum transportandarum, militumque quaqua versum subvehendorum rationem, vitatis longis, lentis, periculosis, ac dispendiosis profectionibus.

S E-

SERIES ROMANORVM IMPERATORVM.

Ante Natum Christum.

C. *Iulius Cæsar.* Ann. XLVI. Roman.
Cæs. Octav. Augustus. In hujus Imperii ann. 42. natus. est DOMINVS, & Salvator Noster IESVS CHRISTVS. Imperavit ipse adhuc 14.
C. *Tiberius Nero.* Ann. à N. C. susc ipit Imperii gubernacula XV. fuitque natione Roman.
C. *Caligula.* 39. Romanus.
Claudius Cæsar. 43. Romanus.
Domitius Nero. 57. al. 59. Romanus.
Sergius Galba. 71. al. 69. Roman.
Sylv. Otto. 71. al. 69. Roman.
A. Vitellius. 71. al. 70. Roman.
Fl. Vespasianus. 72. al. 71. Roman.
Titus Vespasianus. 81. Romanus.
Domitianus. 83. al. 82. Roman.
Coccejus Nerva. 98. al. 99. Rom.
Vlpius Trajanus. 100. Romanus.
Æl. Adrianus. 119. Rom.
Antoninus Pius. 139. al. 40. Roman.
M. Antoninus Philosophus, &
L. Ann. Verus. 163. Romani.
Commodus Antonin. 182. al. 183. Rom.
Æl. Pertinax. 194. al. 195. Italus.

Didius Iulianus. 194. al. 195. Mediol.

Septimius Severus. 195. Romanus

Antoninus Bassian. 214. al. 213. Rom.

Popil. Macrinus. 220. Tingitanus seu Carthaginens.

Varius Heliogabalus. 222. al 223. Rom.

Alexander Severus. 225. Romanus.

Maximinus. 238. Arabs, quem & Bubulcum dicunt, cum Maximino Filio.

Gordianus, cum Gordian. filio. 238. Roman.

Pupienus & Balbinus. 239. Roman.

Gordianus III. 241. Romanus.

M. Philippus I. *cum filio.* 247. Arabs.

Decius cum filio. 251. al. 252. Pannonius, seu Hungarus.

Gallus Hostilianus cum Volusiano F. & Æmilian. 254. Gall.

Licinius Valerianus cum Galieno. 256.

Fl. Claudius II. 271. al. 270. Dalmata: *cum Quintilio.*

Valer. Aurelianus. 27?. Dacus.

Ann. Tacitus. 278 al. 279. Pannonius seu Hungarus, *cum Floriano.*

Aurel. Probus. 280. Pannonius seu Vngarus.

Carus cum filiis Carino & Numeriano. 286. al. 287. Illyric.

Diocletianus Iovius cum Maximiano Herculio. 288.

Con-

Constantius Chlorus cum Galerio (308) & *Severo*, & *Maximiano Iuniore*, & *Maxentio*, & *Licinio*.
Constantinus Magnus. 310. al. 312. *cum Dalmatio*. 341. & *Constantio* II. *Constante*, *Constantio*, *Magnentio*, *Gallo*, &c.
Iulianus Apostata. 363. al. 365.
Iovinianus. 365. al. 367.
Fl. Valentinianus & *Fl. Valens*. 366. al. 368. & seqq.
Gratianus & *Valentinianus* II. 382. Hungar.
Theodosius Magnus. 88. al. 383.
Arcadius, Hispanus & *Honorius Fr*. 401.
Theodosius Iunior seu II. 412. al. 427.
Valentinianus III. 430.
Martianus Flaccus. 454. al. 453.
Leo I. *Pater* & *Leo* II. *Fil. Thraces* 459. al. 461.
Zeno Cilix Isauricus. 474. al. 478.
Anastasius Macedo. 491. al. 494.
Iustinus Subulcus. 518. al. 521.
Iustinianus. 527. al. 528. Illyricus
Iustinus II. 564. al. 566.
Tiberius II. *Constantin*. 575. al. 577. Thrax.
Mauritius Cappadox. 584.
Phocas. 603. al. 604. terræ Filius.
Heraclius vel *Heracleus* 611. Apher.

Constantinus. III. & Heracleonas. 640, 642.

Constans II. 643. al. 644.

Constantin. IV. 670.

Iustinianus II. 687. al 686.

Leontius. 696. al. 697. Constantinopolitanus.

Tiberius Absimarus III. 699. al. 700.

Philippus Bardanes. 713.

Anastasius II. 715. Constantinopolitanus.

Theodosius III. 718. al. 717. Constantinopolitan.

Leo III. 719. al. 718. Isaurus.

Constantinus V. alias *Copronymus* 742. al. 743.

Leo IV. 777. al. 776. Constantinopol.

Constantinus VI. 781. al. 782. cum matre Irene-Alecto.

Carolus Magnus. 800. al, 801. Primus Imperator Germanicus.

Ludovicus Pius. 814. al. 815.

Lotharius. 841.

Ludovicus II. 856.

Carolus I. *dictus Calvus.* 876. al. 875.

Ludovicus III. *dictus Balbus.* 878.

Carolus II. *dictus Crassus* 880.

Arnolphus. 890. al. 888.

Ludovicus IV. *Gallus.* 902. al. 900. vel Francus.

Conradus. I. 911. al 912. Francus.

Hen-

Henricus I. dictus *Auceps*. 919. Saxo.
Otto II. 973. al. 974. Saxo.
Otto II. 973. al. 974. Saxo.
Otto III. 983. al. 984. Saxo.
Henricus II. 1001. al. 1002. Bavarus.
Conradus II. 1025. al. 1024. Francus.
Henricus III. 1039. Francus.
Henricus IV. 1156. al. 1057. Francus.
Henricus V. 1106. al. 1108. Francus.
Lotharius II. 1125. al. 1126. Saxo.
Conradus III. 1138. Suevus.
Fridericus I. *Barbaroſſa* dictus. 1152. al. 1153.
Henricus VI. 1189. al. 1190. Suevus.
Philippus II. 1198. Suevus.
Otto IV. 1208. Saxo.
Fridericus II. 1213. al. 1212. Suevus.
Conradus IV. 1246. al. 1250. Suevus.
Wilhelmus 1252, al. 1253. Batavus ſeu Hollandus.
Alphonſus Hiſpanus & *Ricardus* Anglus Interreg. annos 20. ab an. 1253.
Rudolphus Habſpurgenſ. 1273. al. 1272. Patriarcha Archiducum Auſtriacorum.
Adolphus Naſſaenſis ſeu Naſſovicus. 1291. al. 1292.
Albertus I. Auſtriacus. 1298.
Henricus VII. 1308. Lützelburgicus.
Ludovicus V. 1313. al. 1315. Bavarus, huc aliqui Interregnum, alii.

Fridericus Austriacus. 1314.
Carolus IV. 1347. al. 1348. cum *Günthero* Bohemus.
Wenceslaus. 1376. al. 1378. Bohemus.
Rupertus. 1400. al. 1401. Palatinus.
Sigismundus. 1401. al. 1411. Bohem.
Albertus II. 1438. al. 1439. Austriacus.
Fridericus III. 1432. al. 1440. Austriac.
Maximilianus I. 1493. Austriacus.
Carolus V. 1520. al. 1519. Austriacus.
Ferdinandus 1558. Austriacus.
Maximilianus II. 1564. Austriacus.
Rudolphus II. 1576. Austriacus.
Matthias II. 1612. Austriacus.
Ferdinandus II. 1619. Austriacus.

SERIES CAPITVM
Singulorum librorum Introductionis Geographicæ.

PHIL. CLVVERII.

LIBER I.

CAP. PAG.

I. *QVid Geographia, & quid Globus seu Orbis terræ.* 1
II. *De Globi partibus & Circulis.* 2
III. *De quatuor majoribus Circulis.* 4
IV. *De quatuor minoribus Circulis.* 9
V. *De Zonis.* 10
VI. *De Parallelis & Climatibus.* 12
VII. *De Globi in partes CCCLX sectione, item de ambitu terræ, & longitudine ac latitudine ejus.* 18
VIII. *De quatuor Mundi Regionibus, & de Ventis.* 20
IX. *De locorum mensuris.* 22
X. *De Oceano ejusque partibus.* 24
XI. *De magnis sinubus Oceani.* 26
XII. *De Mari Interno.* 27
XIII. *De Navigatione Oceani.* 30
XIV. *Summa totius orbis divisio.* 32

LIBER II.

I. *Summa Europæ descriptio.* 36
II. *De Hispania.* 37

III. *Divisio Hispaniæ Veteris.* 40
IV. *De Nobilioribus Hispaniæ fluviis, & Vrbibus olim claris.* 41
V. *De incolis Hispaniæ, ac recentiori ejus divisione.* 42
VI. *De Vrbibus, Portubus, & Academiis hodie claris.* 47
VII. *De Insulis ad Hispaniam.* 49
VIII. *De Gallia.* 50
IX. *De Gallia Braccata, qua & Narbonensis provincia.* 52
X. *De Gallia Comata, ac prima ejus parte Aquitania.* 53
XI. *De Gallia Celtica, seu Lugdunensi.* 55
XII. *De Gallia Belgica; item Fluminibus universæ Galliæ Transalpinæ.* 56
XIII. *De incolis Galliæ, ac posteriori ejus divisione.* 60
XIV. *De recentiore Galliæ, ejusque in varias Provincias divisione.* 64
XV. *De Vrbibus Galliæ celebribus, Academiisque illustribus.* 66
XVI. *De Sabaudia, ac Burgundiæ Comitatu.* 68
XVII. *De Helvetiis & Vallesiis.* 69
XVIII. *De Hodierna Belgica, sive de Inferiore nunc Germania.* 72
XIX. *De præcipuis inferioris Germaniæ Vrbibus.* 76
XX. *De Britannicis Insulis.* 81

CAPITVM.

XXI. *Divisio Veteris Britanniæ, item de fluviis & opidis.* 83
XXII. *De Incolis Britanniæ.* 85
XXIII. *De Anglia.* 88
XXIV. *De Scotia.* 90
XXV. *De Hibernia.* 92

LIBER III.

I. *De veteri Germania.* 93
II. *Divisio Veteris Germaniæ, ac primum de Vindilis & Ingevonibus.* 96
III. *De Istavonibus, Hermionibus atque Bastarnis, item Suevia, & Veterum Germanorum habitationibus.* 99
IV. *De Vindelicia & Norico.* 105
V. *De fluviis, silvis ac montibus Germaniæ.* 108
VI. *De Incolis Germaniæ.* 108
VII. *Quota pars Germaniæ subjecta fuerit Imperio Romano.* 110
VIII. *De variis Germaniæ Regnis, ac novissima ejus divisione.* 112
IX *De Imperii Germanici provinciis citra Rhenum in Gallico solo sitis.* 114
X. *Suevia, Franconia, Palatinatus Rheni.* 117
XI. *Palatinatus Superior, Bavaria, Salisburgiensis Archiepiscopatus, Tirolis Comitatus.* 119
XII. *Croatia, Vinidorum Marchia, Carniola*

niola, Carinthia, Stiria & Austria. 121
XIII. Bojohamia, Moravia, Silesia, Lusatia. 123
XIV. Marchia Brandeburgensis, Pomerania, Meckeloburgium, Holsatia. 126
XV. Luneburgiensis Ducatus, Bremensis Archiepiscopatus, Frisia Orientalis, Westfalia, Clivia & Montanus Ducatus. 128
XVI. Hassia, Wetteravia, Buchovia, Thuringia. 131
XVII. Misnia, Saxonia, Brunsvicensis Ducatus. 132
XVIII. De Archiepiscopatibus & Academiis Germaniæ. 134
XIX. Daniæ Regnum. 135
XX. Norvagia, Finnomarchia, Islandia, Groenlandia, Friesiandia. 136
XXI. Suedia, Botnia, Scrickfinnia, Lappia, Finnia. 139
XXII. De Italia & variis ejus nominibus. 141
XXIII. De Divisione veteris Italiæ. 143
XXIV. Ligures, Taurini, Cottii & Ideonni Regna; Salassi, Lepontii, Enganei, Rhæti, Veneti, Carni, Histri. 145
XXV. De Gallis Cisalpinis. 148
XXVI. Etruria & Vmbria. 150
XXVII. De Sabinis & Latio. 152

XXVIII. *Picentes, Vestini, Marrucini, Peligni, Marsi, Frentani, Samnites, Hirpini.* 155

XXIX. *De Campania & Picentinis, Apulia, Calabria.* 156

XXX. *De Lucanis, Brutiis & Magna Gracia.* 160

XXXI. *De Fluviis Italiæ.* 161

XXXII. *De Montibus Italiæ.* 162

XXXIII. *De variis Italiæ incolis.* 164

XXXIV. *De novissima Italiæ divisione.* 166

XXXV. *Histria, Forum Iulium, Marchia Tarvisiana, Grisones, Helvetiorum stipendiarii, & Pedemontium.* 168

XXXVI. *Lombardia, & Genuensis ager.* 171

XXXVII. *Tuscia, Romaniola, Marchia Anconitana, Romanus ager & Ducatus Spoletanus.* 173

XXXVIII. *De Regno Neapolitano.* 176

XXXIX. *De Vrbibus Regni Neapolitani.* 178

XL. *De Episcopatibus Italiæ, Academiis, & urbium clarissimarum Epithetis.* 179

XLI. *De Sicilia.* 181

XLII. *De incolis Siciliæ & nova ejus descriptione.* 184

XLIII. *De Sardinia & Corsica.* 186

SERIES

LIBER IV.

I. *De Pannonia.* 188

II. *De incolis Pannoniarum & de Regno Hungariæ.* 190

III. *De Sclavonia & Bosnia.* 192

IV. *De Illyrico.* 193

V. *De incolis Illyrici, & nova ejus descriptione.* 195

VI. *De Græcia, & summa ejus divisione.* 196

VII. *De Epiro & Peloponneso.* 198

VIII. *De Hellade, seu Græcia proprie dicta, & Thessalia.* 199

IX. *De Macedonia.* 202

X. *De Fluviis, Montibus ac Insulis Græciæ adjacentibus.* 204

XI. *De incolis Græciæ & nova ejus descriptione.* 206

XII. *De Creta Insula.* 207

XIII. *De Thracia.* 209

XIV. *De Vrbibus veteris Thraciæ, Fluviis ac Montibus.* 211

XV. *De incolis Thraciæ & urbibus nunc claris: item de Patriarchis Græcanicæ religionis.* 212

XVI. *De Mœsia.* 214

XVII. *Summa universæ Scythiæ descriptio. Item de veteri Scythia Europæa.* 217

XVIII. De

XVIII. *De Dacia.* 219
XIV. *Transsilvania, Valachia & Moldavia descriptio.* 221
XX. *Tattaria minor; ubi Taurica Chersonesus.* 222
XXI. *Sarmatia Europæa.* 224
XXII. *De incolis Sarmatiæ, fluviis ac montibus: item de Hyperboreis.* 225
XXIII. *De Poloniæ regno Provinciisque et subjectis.* 227
XXIV. *Poloniæ proprie dictæ* 229
XXV. *Lituania, Russia & Podolia.* 230
XXVI. *Volinia, Podelassia, Masovia, Livonia, Samogitia.* 235
XXVII. *De Borussia & Cassubia: item de Episcopatibus & Academiis regni polonici.* 236
XXVIII. *Moscoviæ sive Russiæ Albæ Ducatus Magnus* 237

LIBER V.

I. *Summa Asiæ descriptio.* 239
II. *Scythia Asiatica & Sarmatia Asiatica; item Serica & Sogdiana.* 241
III. *Summa Tattariæ descriptio.* 244
IV. *Tattaria deserta, Zagataja & Turckestan.* 245
V. *Cataini Magni Chani Imperium; item Tattaria vetus.* 247

VI. *De*

VI. *De Sinarum regione sive China.* 249
VII. *De India Veteri.* 252
VIII. *Summa India nova descriptio.* 254
IX *Cambaja, Narsinga, Malabar, Orixa.* 256
X. *Bengala, Pegu, Sian, Camboja, India Septemtrionalis.* 258
XI. *Insulæ in Indico mari.* 259
XII. *De Persarum imperio.* 260
XIII. *Gedrosia, Carmania, Drangiana, Arachosia, Paropamisis, Bactriana, Margiana, Hyrcania, Aria, Parthia.* 261
XIV. *Persis, Susiana, Assyria. Media.* 264
XV. *De varia imperii Asiatici mutatione, nova Sophorum regni descriptione; item de regno Ormuz.* 265
XVI. *De reliquis veteris Asiæ regionibus, quas nunc Turcarum Imperator obtinet: & speciatim de Albania, Iberia, Colchide & Armenia.* 267
XVII. *Cappadocia, Galatia, Pontus, Bithynia.* 270
XVIII. *Asia Minor sive proprie dicta.* 272
XIX. *Lycia, Pamphylia & Cilicia.* 275
XX. *Summa Syriæ descriptio: item Palæstina: sub qua Idumæa & Iudæa.* 277
XXI. *Samaria, Galilæa, Phœnice & Libanus.* 281
XXII. *Antiochene, Comagene & Cœlesyria.* 283

XXIII. *Me-*

CAPITVM.

XXIII. *Mesopotamia & Babylonia.* 285
XXIV. *Arabia.* 288
XXV. *De Turcico imperio, urbibusque sub eo claris.* 290
XXVI. *Cyprus & Rhodus.* 292

LIBER VI.

I. *Summa Africæ descriptio.* 295
II. *Ægyptus.* 296
III. *De incolis Ægypti ac Nilo flumine: item de Libya exteriore.* 298
IV. *Cyrenaïca, Africa Minor, Libyæ deserta, Troglodytæ & Garamantes,* 300
V. *Numidia & Mauritania.* 303
VI. *Gætuli, Atlas Mons, Libya interior & Æthiopia.* 305
VII. *De incolis universæ Africæ novaque ejus descriptione: ac primum de Ægypto.* 307
VIII. *Barbaria.* 309
IX. *Biledulgerit, Sarra desertum, Nigritæ, Abissini.* 311
X. *Æthiopia exterior; item insulæ Africæ adjacentes.* 314
XI. *Summa Americæ descriptio.* 316
XII. *America Septemtrionalis sive Mexicana.* 320
XIII. *Florida, Nova Granata, California, Nova Hispania.* 322

XIV: *Ame-*

SERIES CAPIT.
XIV. *America Meridionalis, seu Peruviana.* 324
XV. *De Insulis Novi Orbis.* 327
XXI. *Magellanica.* 328

FINIS.



INDEX TABULARUM;

Et ad quam paginam singulæ referendæ.

Globi mundi, sive typus Orbis Terrarum. pag. 32
Europa. 35
Hispania. 37
Gallia. 50
Germaniæ Cis-Rhenanæ, ut inter Jul. Cæsaris & Trajani imperia fuit; Scaldis, item Mosæ ac Rheni ostiorum, antiqua descriptio. 56
Helvetiæ conterminarumque terrarum antiqua descriptio. 69
Inferioris Germaniæ descriptio. 72
Britannicarum Insularum typus. 81
Populorum Germaniæ inter Rhenum & Albim antiqua descriptio. 96
Suevia antiquæ descriptio. 99
Vindeliciæ & Norici descriptio. 105
Nova totius Germaniæ descriptio. 112
Dania, Suecia & Norvegia. 135
Italia. 143
Ligures, Taurini, &c. 145
Histri, Carni, Veneti, &c. 147
Etruria, Latium, Vmbria, &c. 150
Picentes, Vestini, Campania, &c. 155

Italiæ recentioris descriptio. 166
Sicilia antiqua. 181
Corsicæ & Sardiniæ antiquæ tabulæ. 186
Pannonia & Illyricum. 188
Græciæ descriptio. 196
Cretæ, Cyprus, & Rhodus. 207
Thraciæ descriptio. 209
Mœsiæ & Daciæ typus, &c. 214
Russia, cum confiniis, sive Moscovia. 222
Asia. 239
Sina. 249
India Vetus. 252
India Orientalis nova. 254
Persia. 260
Armenia, Syria, Mesopotamia. 267
Natolia, olim Asia minor. 272
Palæstina, & Phœnice. 278
Africa. 295
Africa minor, Mauritania, Ægyptus. 300
America descriptio. 316

L:-n

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0554

ALVENSLEBEN
Kk
258

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-11920154511222-171520708-14/fragment/page=0557



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0558



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-171520700-14/fragment/page=0559



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0560

PHILIPPI CLVVERII
INTRODVCTIONIS
in
Vniversam GEOGRAPHIAM
tam Veterem quam Novam Libri VI.
Tabulis æneis illustrati.
Accessit P. BERTII Breviarium Orbis Terrarum.

Kk 258



AMSTELODAMI,
Ex Officina Elzeviriana. Aº. 1659.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-17152070X-14/fragment/page=0561